DE ARII DIDYMI
IN MORALI PHILOSOPHIA AVCTORIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI
SCRIPSIT

HANS STRACHE
MARCHICUS.

BEROLINI.
MAYER ET MÜLLER.
1909.

DE ARII DIDYMI
IN MORALI PHILOSOPHIA AVCTORIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

HANS STRACHE

MARCHICUS.

PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITVR
DIE XIV. MENS. AUG. A. MCMIX.

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione
Hermannus Diels Dr. Prof. publ. ord.
Eduardus Norden Dr. Prof. publ. ord.

Typis expressit Dieterich'sche Univ.-Buchdruckerei (W. Fr. Kaestner), Gottingae.

HERMANNO DIELS

S.

Praefatio.

Arium Didymum [de nomine cf. Diels dox. graeci p. 86.] Caesaris Augusti temporibus Stoicum philosophum extitisse et in principis ac Maecenatis familiaritate versatum esse satis constat [v. Zeller hist. phil. Graec.[3] III[a] p. 614 sqq.]. Eius sub nomine perpauca hodie placitorum frustula circumferuntur apud Eusebium [praep. evang. XV 15; 20; XI 23, 2], Clementem Alexandrinum [stromat. I 300 B; 309 C], Johannem Stobaeum [floril. 103, 28 = ecl. II 129, 19 sqq. Wachsm.] eaque omnia, ut videtur, ex eodem libro desumpta, quo variorum philosophorum decreta summatim amplexabatur. Ad parvulum hunc certorum fragmentorum numerum ut, quaecunque ap. Stob. ecl. ethic. II 37, 15—152, 25 W. prolegomenis praemissis de Stoicorum et Peripateticorum dogmatis enarrantur, accederent, Meinekei id effectum est ingeniosa ac splendida coniectura [in Muetzellii diariis XIII 1859 p. 563.] ab Heerenio [II 2 p. 189—192] et Caro [Nachgelassene Werke IV p. 34] affecta et incohata. Nec vero acquievit vir doctus in moralis philosophiae reliquiis Ario vindicandis: etiam in physicis expiscatus est, quae ei tribuenda esse autumaret. Hac in re longius eum esse provectum docuit Hermannus Diels [dox. gr. p. 69—88.], qui quae ad physicen spectant Didymea diligenter collegit. Idem, cum accuratius ageret de epitomae indole ac natura, eo pervenit, ut hanc fuisse Arii disponendi rationem pro certo haberet: tractavit ille de placitis Platonicorum, Stoicorum, Peripateticorum (incertum, num etiam Epicurea enarraverit), atque hoc quidem ita, ut harum partium unamquamque subdivideret in logicam, physicam, moralem;

qua eadem partitione usus est sine dubio in iis, quae prohoemii loco praemisit.

Eorum autem, quae ex hoc libro nobis sunt servata, magnum quidem obtinent locum moralis philosophiae decreta. Horum fontibus constitutis licet ad posterioris aetatis philosophandi rationem cognoscendam aliquid redundaturum esse sperare possimus, nihilo tamen minus hanc quaestionem a viris doctis incohatam nondum ad umbilicum adductam aut ita, ut de tota ethicorum epitoma disputaretur, institutam esse, qui in sequiorum philosophia versatur nemo nescit.

Quapropter ego mihimet proposui, quanta potero diligentia, quosnam auctores Arius in moralibus adhibuerit, anquirere. Hac in re ita progredi placet, ut primum Prolegomena, dein quae cum illis artius cohaerent Peripatetica, tum Stoica recenseam; ad extremum de Platonica parte copiosius exponam. Haec vero de fontibus inquisitio, cum saepius absolvi non possit nisi recuperata orationis vera forma, etiam ad rem criticam factitandam accedere debebo partim in ipsius disputationis contextu, quae tradita sunt, pertemptans, partim ad appendicem legentes remittens.

Caput I.

De prohoemio.

In prolegomenis, quae compendio praemittit Arius, Philonis Larisaei prolata ethices partitione Eudori Academici divisio legentium oculis proponitur. Hac absoluta incipit explanatio de fine [45, 12 W.] et de bonis ac malis [53, 21] Stobaei more auctoris nomine omisso. Iam vero Zellerus [phil. hist.[3] III[a] p. 613 adn. 1] quaecunque inde a pag. 42, 7 W. ad pag. usque 57, 12 leguntur, Eudoro deberi coniecit; atque cum in iis, quae de fine enarrantur, inesse nonnulla sibi persuasisset, quae Antiochi redolerent doctrinam [p. 47, 19 sqq. W.], Ascalonitae discipulum illum fuisse contendit. Hanc coniecturam improbare videtur Dielesius [dox. Gr. p. 70.] et refutare studuit Rudolfus Hirzel [Untersuchungen zu Ciceros philosoph. Schriften, Lipsiae 1882 vol. II. p. 835 [2]]. Tum Hoyer [de Antiocho Ascalonita, diss. Bonn. 1883] Antiocho suo qualiacunque vindicans haec quoque omnia ascribenda esse non tam probavit quam coniecit: recepta enim esse ab illo ex aliorum libris et ad verbum saepius descripta varia variorum scriptorum placita. Goedekemeyerus denique [Gesch. d. griech. Skeptizismus p. 204 [4]] Zelleri opinionem paucis reiecit. Mihi quidem id videtur constare non esse, cur etiam, quae de fine et de bonis explicantur, Eudoro attribuamus. Immo vero ipsum Arium, quae illi deberi vellet, angustioribus finibus circumscripsisse recte monuit Hirzelius [l. l. p. 837 adn.]. Perspicuum enim est e verbis ἧς ἐγὼ διαιρέσεως ἐκθήσομαι τὸ τῆς ἠθικῆς οἰκεῖον [p. 42, 10] non nisi divisionem moralis loci secundum illum enarrare vo-

luisse scriptorem. Sed in eo, quod verba, quibus transitus fit ad ipsa placita describenda, Eudori esse Zellero concedere mavult, cum Hirzelio facere me non posse confiteor; verum istis κατὰ τὴν ἐμοὶ φαινομένην διάταξιν [p. 45, 9 W.] cum Dielesio et Goedekemeyero indicari putaverim neutrius Arium partitione contentum nec Philonis[1]) nec Eudori suam ipsius divisionem sequi.

Hac igitur via nihil effici de proximae disputationis auctore satis demonstrasse mihi videor. Iam ipse quid sentiam, accuratius explicabo.

Huius inquisitionis exordium fiat ab ea sententia, quam iam Zellerus Antiochiam esse invenerat. Exponitur enim p. 47, 19 sqq. ὑποτελίδα in uno horum conspici: aut in voluptate, aut in quiete vel vacuitate doloris, aut in principiis naturae. Haec quanto opere consentiant cum Antiochiis ap. Cic. de fin. V 7, 17 sq. ex hac tabella perspicuum fiat:

Stob. p. 47, 19 sqq. W.	Cic. de fin. V 7, 17 sq.
Κεῖται δ'(ὑποτελὶς) ἔν τινι τῶν τριῶν· ἢ γὰρ ἐν ἡδονῇ ἢ ἐν ἀοχλησίᾳ ἢ ἐν τοῖς πρώτοις κατὰ φύσιν. Πρῶτα δ'ἐστὶ κατὰ φύσιν περὶ μὲν τὸ σῶμα ἕξις, κίνησις, σχέσις, ἐνέργεια, δύναμις, ὄρεξις, ὑγίεια, ἰσχύς, εὐεξία, εὐαισθησία, κάλλος, τάχος, ἀρτιότης, αἱ τῆς ζωτικῆς ἁρμονίας ποιότητες· περὶ δὲ τὴν ψυχὴν εὐσυνεσία, εὐφυΐα, φιλοπονία, ἐπιμονή, μνήμη, τὰ τούτοις παραπλήσια, ὧν οὐδέπω τεχνοειδὲς οὐδέν, σύμφυτον δὲ μᾶλλον.	Voluptatis alii primum appetitum putant et primam depulsionem doloris: vacuitatem doloris alii censent primum ascitam et primum declinatum dolorem: ab iis alii, quae prima secundum naturam nominant, proficiscuntur, in quibus numerant incolumitatem conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, viris, pulchritudinem, cetera generis eiusdem, quorum si-

1) Philonis Larisaei rationem a Didymo probari censet A. Covotti [stud. ital. di filologia class. vol. 5. p. 71 sq.]. At Arius primum de fine, tum de bonis ac malis tractat [p. 45, 12 sqq.]; contra quem ordinem ille suum fecerit, apparet e p. 40, 20 sqq.

milia sunt prima in animis quasi virtutum igniculi et semina. cf. Augustin. de civit. dei XIX 1 p. 303, Dombart.

Arii verba ὧν οὐδέπω τεχνοειδὲς οὐδέν, σύμφυτον δὲ μᾶλλον [p. 48, 2 sq.] quemadmodum intellegenda sint, docemur virtutum partitione, quae de fin. V 13, 36 ita explicatur, ut duo internoscantur genera, unum earum, quae ingenerantur suapte natura appellanturque non voluntariae — hae autem a Stobaeo intelleguntur — alterum earum quae in voluntate positae magis proprio nomine appellari solent [cf. etiam Stob. ecl. II p. 136, 16 sqq.].

Etiam ea, quae huius sectionis initio leguntur, Ascalonitae rationi sunt convenientia: vocem οἰκεῖον ei notam fuisse docet locus academ. II 12, 37, ubi id, quod accommodatum ad naturam appareat, intellegitur. Porro, quod Arii auctor stoice dicit κατὰ τοὺς φυσικοὺς καὶ σπερματικοὺς λόγους, comparare licet eos locos, ubi Cicero Antiocho duce virtutis principia et semina nos indita habere pronuntiat [fin. V 15, 43; cf. 21, 59; 21, 60; IV 13, 34]. Accedit quod de fin. IV 13, 34 eisdem fere verbis omne animal „simulatque sit ortum" (γενόμενον γὰρ τὸ ζῶον p. 47, 17) adplicatum esse dicitur ad se conservandum [1]).

Denique notandum etiam illud p. 48, 4 Ascalonitae more τῶν ἀρχαίων nomine Platonem et Aristotelem quique ab iis sunt comprehendi [cf. Hirzel Unt. II 646; 834 [1]; Prantl Gesch. d. Logik I p. 385, 68; Hoyer De Ant. Asc. p. 2 [2]].

Atque haec veterum notio cum audienda sit procul dubio ad illud λέγουσιν, quod p. 48, 6 legitur, eam quoque

1) De primis naturae cf. de fin. IV 7, 16; 8, 20; V 9, 24; Stob. p. 118, 5 sqq.; Stoica ap. Diog. Laert. VII 85 sq.; Gellium XII 5, 7; de fin. III 5, 16. De huius notionis origine egerunt Hirzel l. l. II p. 829. et Bonhoeffer „Die Ethik des Stoikers Epictet" p. 175. Cf. etiam H. Doege „Quae ratio intercedat inter Panaetium et Antiochum Ascal. in morali philosophia" Halis 1896 p. 21 sq.

sectionem, quae usque ad p. 48, 11 deducitur, Antiocho dandam esse apparet; cuius ratio vel inde redolet, quod singulae, quae proferuntur definitiones, nominibus, non rebus differre dicuntur [cf. acad. post. I 4, 17 et passim; v. infra p. 7.].

Gravissimi vero momenti est proxima expositio, qua diversa singulorum sapientium de fine constituendo decreta adumbrantur [p. 48, 12—22]: hanc ex Antiochi ingenio prodisse hac comparatione demonstratur:

Stob. II 48, 12 sqq.,

Τῶν περὶ τέλους διαλεχθέντων οἱ μὲν ψυχικὸν εἶναι διενοήθησαν, οἱ δὲ σωματικόν, οἱ δὲ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν. Φράσω δὲ παραδείγματος χάριν· ὁ μὲν τοίνυν ἀρετὴν λέγων τουτέστιν ἐν ἀρετῇ κείμενον ψυχικὸν ὑπείληφεν· ὁ δ᾽ ἡδονὴν σωματικόν· ὁ δὲ τὸ καλῶς καὶ ἡδέως ζῆν κοινόν. Εἴποι δ᾽ ἄν τις αὖ κἀκείνως· οἱ μὲν λογικόν, οἱ δ᾽ ἄλογον, οἱ μὲν διανοητικόν, οἱ δὲ παθητικόν. Πάντα δὲ τὰ ἐν αὐτοῖς ⟨τοῖς⟩ ὀνόμασιν ἔχοντα ⟨τὴν⟩ διαφορὰν [1]) εἰς ταὐτὸ συντρέχει. Ἐκ γὰρ σώματος καὶ ψυχῆς τἀνθρώπου συνεστῶτος, ἀνάγκη

Cic. de fin. IV 14, 36

Cum enim constet inter omnes homines omne officium munusque sapientiae in hominis cultu esse occupatum alii — ne me existimes contra Stoicos solum dicere — eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostram potestatem, tamque de inanimo aliquo loquantur [= σωματικόν]; alii contra quasi corpus nullum sit hominis, ita praeter animum nihil curant * * * [= ψυχικόν]; quamobrem utrique idem faciunt, ut si laevam partem neglegerent, dexteram tuerentur aut ipsius animi ut fecit Herillus cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim om-

1) Hanc coniecturam benigne mecum communicavit H. Diels; codd. τὴν ἐν τούτοις ὀ. ἔχ. διαφ.

καὶ τὴν εὐζωΐαν αὐτοῦ περὶ ταῦτα καὶ διὰ τούτων συνίστασθαι.

nium multa praetermittentium dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia. At vero illa perfecta atque plena eorum, qui cum de hominis summo bono quaererent, nullam in eo neque animi neque corporis partem vacuam tutela relinquerent [= μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν].

cf. de fin. IV 15, 41: In qua (natura) si nihil est praeter rationem [en habes illud λογικόν 48, 17], sit in una virtute finis bonorum [v. 15].

Quanta sit utroque loco argumentationis similitudo, cuiusvis est perspicere. Habes propriam Antiochi de singulis disciplinis sententiam; qui et Epicureos, qui finem in uno corpore ponebant, et qui in uno animo Stoicos despiciens solam probat doctrinam veterum Academicorum et Peripateticorum, quos rebus congruentes nominibus differre identidem exponit [cf. acad. I 4, 17; de legg. I 20, 54; quae infra p. 25. exp.]. Sed Arii ratiocinationem, si paullo accuratius inspexeris, non recte procedere facile cognosces. Neque enim ultima sententia [„ἐκ γὰρ σώματος κτλ.“] conveniens est ad ea, quae praecedunt. His cum fusius atque quasi in parenthesi ostendatur nominibus, non rebus differre opiniones eorum scilicet, qui pro verbo ψυχικόν dicant λογικόν vel διανοητικόν atque pro σωματικόν ἄλογον vel παθητικόν, nunc iam redit oratio ad eam discrepantiam, quam in ipsa re, non in nomine tantum verti supra [48, 12 sq.] significatum erat. Ait nimirum Arius congruenter cum Antiocho [de fin. V 12, 34; IV 10, 25] eorum se praeferre placitum, qui et in

animo et in corpore summum bonum ponant. Haec sententia prorsus inepte particula γάρ annectitur; quam cave in δέ mutes; immo oratio excerpentis, opinor, culpa hiulca videtur esse. Quae Antiochus scripsit, etsi recuperare non possum, tamen huius fere modi fuisse crediderim:

„Omnia solis nominibus (ἐν αὐτοῖς ⟨τοῖς⟩ ὀνόμασιν) discrepantia re ipsa inter se concinunt. ⟨Rebus vero differunt sententiae eorum, qui aut in corpore aut in animo aut in utroque finem conspiciunt; ita, ut una vera sit eorum, qui quasi medium feriunt nullamque hominis partem neque animi neque corporis vacuam tutela relinquunt.⟩ Ἐκ γὰρ σώματος καὶ ψυχῆς τἀνθρώπου συνεστῶτος, ἀνάγκη καὶ τὴν εὐζωΐαν αὐτοῦ περὶ ταῦτα καὶ διὰ τούτων γίγνεσθαι."

Sed redeamus ad ipsam rem. Quoniam ea, quae modo tractavi, ad Ascalonitam referenda esse demonstravi, causam habeo, cur eam quoque sectionem, quae in huius paginae calce legitur [p. 48, 23—49, 7], illi ascribam. Etenim cum perspicuum sit verbis λέγωμεν οὖν περὶ τῶν πρώτων εὐθὺς ὁποῖοι ἦσαν οἱ ἀπὸ τῶν ψυχικῶν ἀναγόμενοι praemissam orationem continuari vel quae supra [p. 48, 12 sqq.] breviter adumbrata erant, exemplis comprobari, pro certo affirmare licebit haec quoque ex Antiochi scriniis sumpta esse. Sed etiam alterum consequitur: uberius illum exposuisse — fortasse in prohoemio libri, quem de fine conscripsit — quaenam singulis philosophis usque ab Homero de summo bono placuissent [cf. de hac re Hoyer „De Ant. Asc." p. 1 sqq., sqq.]. Ex hac autem expositione num plura transcripserit Didymus Arius, quaeritur. Hoc quidem vix poterit negari veri non esse simile iam hic eum substitisse in illius libro excerpendo. Sed certiora admovenda sunt argumenta.

Ac primum dicam de proxima sectione [p. 49, 8—50, 10], qua ea fuisse perhibetur Socratis, Platonis, Pythagorae opinio, ut in dei similitudine finem conspicerent.

Ex hac sententia quam maxime redolet Antiochi disserendi ratio. Cf. haec:

50, 2 sqq. καὶ τὴν μὲν ποικιλίαν τῆς φράσεως ἔχει διὰ τὸ λόγιον καὶ μεγαλήγορον, εἰς δὲ ταὐτὸ καὶ σύμφωνον τοῦ δόγματος συντελεῖ.	48, 9 sqq. (Antiochia) κἂν λέγῃ δέ τις μακαριότητα καὶ τὸ μακαρίως ζῆν, εἰς ταὐτὸ συνδραμεῖται τοῖς τέλος λέγουσιν [de textu v. app. crit.]. 48, 19 πάντα δὲ τὰ ἐν αὐτοῖς ⟨τοῖς⟩ ὀνόμασιν
50, 6 sq. ὅτι δὲ τέλος αὐτὴν ἡγεῖται, τέταχεν ἐν Τιμαίῳ καὶ τοὔνομα [1]).	ἔχοντα ⟨τὴν⟩ διαφορὰν εἰς ταὐτὸ συντρέχει. 48, 3 Τὴν δὲ ὑποτελίδα τῶν ἀρχαίων οὐδεὶς ὠνόμασε καίτοι τὸ πρᾶγμα γιγνωσκόντων.

Haec unum scriptorem sapiunt. Accedit, quod ex ipso Cicerone haec Ascalonitae esse confirmatur. Nuncupatur enim Plato acad. post. I 4, 17 similiter atque hic [p. 49, 25] varius et multiplex et copiosus [cf. Hoyer l. c. p. 39 [1]]. Atque Arius ut in hac re cum recentioribus Stoicis conspirat [Hirzel Unt. II p. 339 [1]], ita etiam in iis, quae de Platonis et Pythagorae consensu disseruntur. Posidonius enim Platonem in plerisque rebus non solum idem sensisse putabat quod Pythagoram, sed etiam rationem attulisse [Tuscul. disp. I 17, 39; cf. Schmekel „Die Philos. d. mittl. Stoa“ p. 382]. Qua de re audiamus quae exponit Galenus de plac. Hipp. et Plat. IV p. 401 ed. Mueller:

„Οὐ γὰρ Ἀριστοτέλης μόνον ἢ Πλάτων ἐδόξαζον οὕτως, ἀλλ' ἔτι πρόσθεν ἄλλοι τέ τινες καὶ ὁ Πυθαγόρας, ὡς καὶ ὁ Ποσειδώνιός φησιν ἐκείνου πρώτου μὲν εἶναι λέγων τὸ δόγμα,

1) Vocubulum τέταχεν non nisi ad verba καὶ τοὔνομα referri posse elucet; quapropter Dielesius repudiata Useneri coniectura, qui post vocem Τιμαίῳ verbum εἰπὼν inseruit, teneri iubet quae tradita sunt sic explicans: „Was aber das betrifft, daß er sie als τέλος auffaßt, so hat er im Tim. sogar den Namen dafür gesetzt.“ De ellipsi cf. Kuehner-Gerth „Ausführl. Gramm. d. gr. Spr.“ II 2, 371 adn. 4.

Πλάτωνα δ' ἐξεργάσασθαι καὶ κατασκευάσαι τελεώτερον αὐτό" [1]).

Haec argumenta si tibi persuaserint, etiam quae deinceps [p. 50, 11—51, 17] de Aristotele explicantur, Antiocho tribuas necesse erit. Hic enim perinde ac p. 50, 5 dedita opera κτῆσις et χρῆσις distinguuntur [p. 50, 12 sq.], nimirum, ut paullo aliter Aristoteles ac Plato de fine cogitasse videantur. Quid, quod non desunt, quibus peculiaris Ascalonitae doctrina referatur? Id enim ille posuit tribus rebus virtutem absolvi: natura, ratione, consuetudine [p. 51, 5 sq.]. Huc spectant Tulliana quae legis acad. post. I 10, 38:

„Cumque superiores non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura aut more perfectas . . ."

Possunt etiam comparari, quae exhibentur acad. post. I 5, 20:

„Morum autem putabant (veteres) studia esse et quasi consuetudinem, quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant" [cf. Doege, „Quae ratio intercedat sqq.", p. 21 sq.]. Id quoque illius mori apprime convenit, quod variis summi boni definitionibus congestis non solum similiter ac p. 48, 6 nihil interesse exponitur, utrum finem dicas an beatitudinem [51, 15 sqq.] verum etiam Platonis sententia, ut cum Aristotelia comparetur, arcessitur.

Iam vero progredior ad id, quod subsequitur tmema

---

1) Hinc conieci Arii verba p. 49, 16 sqq. Πυθαγόραν δὲ ὑπ' αὐτὸν εἰπεῖν κτλ. sic refingenda esse: Πυθαγόραν δὲ πρῶτον εἰπεῖν· Ἕπου θεῷ· * * * Εἴρηται δὲ παρὰ Πλάτωνι κατὰ τὸ τῆς φιλοσοφίας τριμερές, ἐν Τιμαίῳ μὲν φυσικῶς (προσθήσω δὲ καὶ Πυθαγορικῶς), σημαίνοντος ἀφθόνως τὴν ἐκείνου προεπίνοιαν. Illud προεπίνοιαν quam bene conveniat ad vocem πρῶτον apertum est. Sed Dielesius, num verba ὑπ' αὐτόν („illo sc. Homero auctore") depravata sint, dubitat coll. Krebs, Praep. b. Polyb. (Schanz, Beitr. z. hist. Synt. I) p. 49. De Pythagora ac Platone quam similia docuerint Antiochus et Pos., intelleges coll. fin. V 29, 87 et Tusc. I 17, 39.

[p. 51, 18—52, 9]; quo tres esse scopos adpetitionis humanae explanatur: honestum et utile et iucundum. Qua in expositione Antiochia agnovisse sibi visus est Wachsmuthius, quippe qui ad verba συμφέρον δὲ ⟨τὸ⟩ πρὸς τὸ ζῆν εὔχρηστον in commentario critico [p. 52, 4] allegavisset locum acad. post. I 6, 22; significari voluit, ni fallor, quae de adventiciis bonis dicuntur, ad virtutis usum ea esse idonea. Ego fateor tantum similitudinis, quantum ille, me conspicere non posse; interest sane aliquid, utrum „ad vivendum" dicas an „ad virtutis usum". Mittamus igitur hoc; sunt alia, in quibus Antiochiam doctrinam deprehendere possimus. Dignum certe est attentione, quod prima secundum naturam, quae nusquam nominavit Aristoteles, sed quorum notionem et usum in libro IV. et V. de fin. semper (itemque acad. post. I 6, 22) ad veteres illos Cicero Antiocho praeeunte refert [cf. Madvig de fin. exc. IV.], Aristoteli supponuntur, additis insuper verbis περὶ ὧν προείρηται [52, 6 sq.], quae non nisi ad Antiochia p. 47, 20—48, 3 redire possunt. Hoc cum recte perspexisset Wachsmuthius, collato isto priore loco hic quoque pro librorum scriptura τὰ κατὰ φύσιν restituendum esse sibi persuaserat πρῶτα κατὰ φύσιν; idemque fecit p. 56, 14 (⟨πρώτων⟩ κατὰ φύσιν). Nec profecto negari potest hanc earum rerum, quas intellegi vult Arius, correctam esse significationem. Verum tamen vel in eo haerebis, quod duobus locis idem legitur. Et demonstrari potest hunc esse peculiarem Ascalonitae vel usum vel confusionem, ut τὰ κατὰ φύσιν et τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν non satis internoscat et distinguat. A Cicerone quidem in iis libris, quos Antiocho duce conscripsit, saepenumero duas istas notiones inter se confundi nemo non videt et concedit Hirzelius: „Es ist ferner schon darauf hingewiesen", inquit II p. 839, „daß Cicero bisweilen einfach secundum naturam sagt, wo man prima naturae erwarten sollte". [cf. Unt. II exc. VII.] Atque iam Madvigus [ad de fin. IV 6, 15] recte perspexit ea, quae essent secundum naturam, primum ita Tullium posuisse, ut virtutem simul

comprehendi vellet, deinde non satis hanc notionem ab illis primis naturae distinxisse, quae sic dicerentur, ut virtus non comprehenderetur. [cf. etiam Madv. de fin. exc. IV.]

Iam vero e locis Stobaeanis luculenter apparet hasce turbas non Ciceroni, ut vult Hirzelius [Unt. p. 839], vitio esse dandas, sed iam Antiochum in hac re peccavisse. Tamen a Stoicis quoque duas illas notiones non recte esse distinctas fortasse concludi potest e de fin. III 6, 21, ubi prima hominis conciliatio ad ea esse fertur, quae sint secundum naturam.

His tamquam excursu pertractatis ad reliquas huius sectionis sententias explicandas me verto. Bonorum quidem tripertitam rationem, qualis hic legitur, apud Tullium vix invenies nec omnino quemquam fugere potest haud ita bene tertium bonorum genus, quod Antiochio more secundum Platonem explicatur, in eum bonorum codicem quadrare, quo uti solet Ascalonites. Sed id quidem proprium est eius, quae ipse excogitavit, ad veterum normam fingere ac recoquere. Honestum vero et principia naturae similem in modum ab eo distincta videntur esse. Talis enim divisionis vestigia agnosco ap. Cic. de fin. IV 21, 58 ubi haec leguntur:

„Dicunt adpetitionem animi moveri, cum aliquid ei secundum naturam esse videatur omniaque, quae secundum naturam sint, aestimatione aliqua digna, eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis, esse aestimanda; quaeque secundum naturam sint, partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua saepe iam diximus, quae nec honesta nec laudabilia dicantur, partim quae voluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam; ex qua quae sunt apta, ea honesta, ea pulchra, ea laudabilia; illa autem superiora naturalia (!) nominantur, quae coniuncta cum honestis vitam beatam perficiunt et absolvunt“.

Ex his quamvis male perturbatis et confusis [v. Madv. ad h. loc.] hoc tamen elucet honesta (τὰ καλά) et primi-

genia similem in modum ab Antiocho esse disiuncta. Cf. Stoica de fin. III 6, 21. Ac ne id quidem neglegendum videtur prorsus hic omitti externorum bonorum seriem, fortasse excerpentis culpa. Sed velim attendas tertium illud bonorum genus, quamquam per se expetendis adnumerabatur, ultimum tamen aestimationis gradum secundum Antiochi sententiam obtinuisse [de fin. V 23, 68; 24, 71] et saepius ab eo esse praetermissum [de fin. IV 7, 16; 14, 36]. Stoicam porro esse formulam ἀρετὴ καὶ τὸ μέτοχον ἀρετῆς iam vidit Wachsmuthius [ad 52, 1 sq.]. Denique accuratius velim inspicias, quae de rebus utilibus disputet Arius; sunt autem haec: 52, 4 sqq. συμφέρον δὲ ⟨τὸ⟩ πρὸς τὸ ζῆν εὔχρηστον· συμπαρατείνοι δ' ἂν ἡ ἔννοια καὶ πρὸς τὸ εὖ ζῆν. Ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ κατὰ φύσιν ψυχῆς καὶ σώματος, περὶ ὧν προείρηται. — Collatis Stoicis ap. Cic. de fin. III 6, 21 sq. duos hic tamquam gradus appetitionis internosci intelleges, a quorum inferiore, in quo principia naturae agendi sunt scopi [cf. p. 47, 20—48, 3], ascendit philosophandi studiosus per incrementa aetatis ἐννοίᾳ usus, in honeste vivendo [52, 5] finem vitae conspiciens. [cf. Gellius Noct. Att. XII 5, 7; de fin. V 15, 41]. Sed haec sententiarum cohaerentia apud Iohannem non bene exprimitur. Quae de intellegentia proferuntur, male obtrusa sunt alteri de primigeniis disputationi, cuius pars posterior ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ κατὰ φύσιν sqq. a priore συμφέρον δὲ ⟨τὸ⟩ πρὸς τὸ ζῆν εὔχρηστον plane dirimitur. Hinc patet ab Antiocho haec accuratius et secundum rectiorem ordinem fuisse exposita, tum ab excerptore male esse decurtata.

Sequitur p. 52, 10—13 sententiola de Eudoxi fine. Hanc ex alio auctore esse petitam atque quae ap. Cic. de fin. V 5, 12 de Aristotele, Nicomacho, Theophrasto exhibentur, recte contendit Hirzelius [Unt. II p. 718]. Sed idem num recte totum quintum de fin. librum contra Madvigum, qui a sexto demum capite Antiochi referri doctrinam autumaverat, illo duce compositum esse iudicaverit, valde potest dubitari [Unt. II 691 sqq.]. Mitto prohoemia omnino liberius ac magis solute a Tullio con-

fecta esse: non presse eum Ascalonitae vestigia hic esse secutum eo demonstratur, quod tripertita philosophiae ratio, quae de fin. V 4, 9 proponitur, ab illius consuetudine prorsus abhorret. Namque cum illic philosophiae una pars naturae, disserendi altera, vivendi tertia esse feratur, Antiochus aut [acad. I 5, 19] iam a Platone philolosophandi rationem acceptam esse affirmat eiusmodi, ut divideret unam de vita et moribus, alteram de natura et rebus occultis, tertiam de disserendo, aut eum ordinem instituit, ut logicae arti principem locum assignet, physicis alterum, tertium ethicis [cf. acad. prior. II 9, 29; Krische, Göttinger Studien, 1845, p. 178].

Itaque Antiochus Ethica quae feruntur Nicomachea, utrum ut Arius p. 52, 10 ipsi Aristoteli ascripserit an eius filio Nicomacho, ut Cicero de fin. V 5, 12 [Hirzel, Unt. II p. 718; cf. Madvig. excurs. VII.], e loco isto Tulliano diiudicari nequit. Immo vero in hac re Ciceronem cum magistro non fecisse elucet ex altera Didymi sectione [p. 57, 1—12], ubi moralia Aristoteli attribuuntur [p. 57, 11 sq.]; hanc sententiam ex Ascalonitae libro manasse infra ostendam [p. 23]. Quae cum ita sint licere hanc sententiam [p. 52, 10—12] Antiocho dare concedes; et eam illi ascribendam esse inde fit verisimile, quod non solum, quae praecedunt, sed etiam, quae subsecuntur, ex illius libro transcripta sunt.

Nam proxima sectione [p. 52, 13—53, 20] Democritus et Plato perinde ac. p. 49, 8 sqq. Socrates et Plato et Pythagoras inter se comparantur. Sed hoc levius; illud gravius, quod Plato quidem et Socrates, Democritus et Pythagoras ap. Cic. de fin. V 29, 87 laudantur eorumque praedicatur cognoscendi studium. Ibi Cicero Antiocho scilicet duce, cum Socratem in virtute omnem ut bene, sic etiam beate vivendi spem posuisse perhibuerit, Democriti ad finem circumscribendum aggreditur his verbis usus: „Quam (vitam beatam) si etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturae consequi volebat, bono ut esset animo. Id enim ille summum bo-

num εὐθυμίαν et saepe ἀθαμβίαν appellat id est animum terrore liberum“.

Adde quae leguntur de fin. V 8, 23:

„Democriti autem securitas, quae est animi tamquam tranquillitas, quam appellavit εὐθυμίαν, eo separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas ea est ipsa beata vita“.

Omnino Democritus saepius ab Antiocho modo laudatur, modo reprehenditur veluti acad. pr. II 5, 14; 10, 32; 17, 55 sq.

Disputavit certe ille de Democrito idque similiter atque hic in singulorum sapientium sententiis enarrandis. Accedit aliud, quo opinio mea stabiliatur. Stoicorum enim doctrinam sapit non solum εὐλογιστίας [1]) notio a Platone quidem aliena [p. 53, 16; — Stob. ecl. II 76, 9; Diog. Laert. VII 88; Hirzel, Unt. II p. 254 sqq.; Bonhöffer „Die Ethik des Stoikers Epictet“ p. 44; 169; 177; 179 sqq.], verum etiam, quod τὸ προηγούμενον ἀγαθὸν opponitur voluptati ut secundario (ἐπιγεννηματικῷ) bono. [cf. Diog. Laert. VII 85; Madvig. de fin. exc. IV. p. 820; Bonhöffer, „Epictet u. die Stoa“ p. 295.]

Iam pleraque Didymeae de finibus bonorum adumbrationis Ascalonitae nescio cui libello deberi vidimus. Sed restant tmemata nonnulla. Quorum id, quod initio huius capitis legitur [p. 47, 1—6] vix illi abiudicandum est. Etenim eo, quod Homeri versus idem citatur, qui deinceps (ab Antiocho) profertur, nequaquam praepedimur, quo minus in uno libro haec duo scripta fuisse putemus. Quid? Quod ad diversam rem explicandam bis idem versus allegatur, nonne unius auctoris ratio redolet?

Neque secus iudico de proxima sectione, ubi qua re inter se differant finis et scopus subtili ratione enucleatur.

---

1) Hanc vocem cur Stob. ecl. II 76, 9 Wachsm. cum Davisio in εὐλογιστεῖν mutaverit, mihi plane obscurum. Neque enim aut e scholiastae εὐλόγιστον ζωήν aut ex εὐλογιστεῖν Diogenis, qui saepissime verbis ab Ario discrepat, quicquam potest colligi. Recte de hac re Hirzel Unt. II 230 [1] et 254 [2].

Huius modi distinctiones Antiochum si non adamasse, at notas habuisse ad Stob. ecl. II p. 130, 21 sqq. infra docebo in cap. II. Sed ipsa verba accuratius inspiciamus; quae corrupta esse censuit Rudolfus Hirzel, Unt. II p. 556[1] his verbis usus:

„In den Worten die hierauf folgen βούλονται γὰρ ἐνέργημα ἡμέτερον εἶναι πρὸς τὸ τέλος [p. 47, 10 sq.] ist das πρὸς zu streichen, das von einem hinzugefügt wurde, der mit seinen Gedanken nicht bei der Sache war. Denn der Unterschied des τέλος von σκοπὸς besteht eben darin, daß jenes und nicht dieses eine Tätigkeit, ein ἐνέργημα oder κατηγόρημα war".

Ego vereor, ut quid voluisset Arii auctor satis perceperit vir doctus. Agitur enim, si quid video, non de finis et scopi discrimine; sed de solo fine. Videtur autem is, quo Didymus hic duce utitur, non in conlineando, ut ait Cicero de fin. III 6, 22 [cf. Madv. ad h. l.], h. e. in actione (ἐνέργημα) finem (τέλος) conspicere — actionem quippe non τέλος, sed πρὸς τὸ τέλος esse contendit — sed in ipso feriendo h. e. in eventu (p. 47, 9 τέλος δ' ἡ τοῦ προκειμένου [sc. τοῦ σκοποῦ] τεῦξις). Facit igitur contra Antipatrum Stoicum cum Panaetio [Hirzel, Unt. II p. 554 et 586]; hunc autem in permultis secutum esse Antiochum accuratius demonstravit H. Doege „Quae ratio intercedat inter Panaetium et Antiochum Ascalonitam in morali phil." diss. Halis 1896 [cf. tamen Praechteri censuram in „Bursians Jahresb." 1901, 1 p. 179 sq.]. Ceterum Antiochus congruenter cum hac sententia acad. post. I 6, 22 hunc esse bonorum finem pronuntiat adipisci, quae sint prima naturae quaeque ipsa per se expetenda, aut omnia aut maxima.

Attamen huic distinctioni veterum sententiam, quam in cunctis fere rebus suam se fecisse dictitat, eum praetulisse emergit ex iis, quae p. 131, 2 sqq. exhibentur [cf. quae exp. in cap. II.]. Itaque cum ad Platonem haec referre non potuerit, recte mea quidem sententia in Wachsmuthii editione p. 47, 7 orationem corruptam esse

indicatur, cum praesertim vocula γε post καί male legatur. Sed editor num recte ante illud γε vocem σημειωτέον suppleverit, potest fortassis dubitari. Verius, opinor, cum Dielesio pro vocula γε restituemus ipsum verbum σημειωτέον, quod compendio scriptum [cf. Wachsm. ad h. l.] facile in γε abire potuit.

Iam ut rationem eorum, quae hucusque examinavi subducam, omnia ex Ascalonitae officina prodisse affirmo. Hic autem in quodam libro, fortasse in prolegomenis explanationis de summo bono, varias variorum philosophorum de fine sententias comprehendisse existimandus est. Talem vero catalogum ab eo esse confectum accuratius exsecutus est Hoyerus l. c. p. 1 sqq., qui omnes locos diligenter collegit. Hinc autem concludi potest, quam pauca eorum a Didymo aut a Stobaeo transcripta sint. Cicero enim plures nominat sapientes velut Pyrrhonem, Aristonem [de fin. IV 16, 43], Polemonem, Stoicos [IV 6, 14; 14, 37], Erillum [IV 14, 36], Epicurum, Hieronymum, Carneadem [18, 49], Calliphonem, Diodorum [18, 50]; qui omnes aut plurimi a Didymo aut a Iohanne omissi esse videntur.

At restat altera de fine explanatio [p. 45, 11—46, 22], cuius pars posterior, qua Stoici, Critolai discipuli, Epicurus recensentur, quin Ascalonitae debeatur, ambigi non potest. Is enim, cuius librum hic Arius excerpsit, contra Critolai sectatores, quibus summum bonum compleri placebat omnibus bonis h. e. animi, corporis, externis, ita nervos intendit, ut corporis bona et ea, quae extrinsecus sunt, non partes esse finis (τελικά) contendat, sed efficientia tantum (ποιητικά). Hanc autem esse peculiarem Antiochi doctrinam infra docebo; hic mihi credas.

Nec tamen haec ex eodem illius libro fluxere atque quae deinceps de extremo bono disseruntur; quod vel inde cognoscitur, quod Arius tamquam bis de fine tractare aggreditur et p. 45, 11 et p. 47, 1 (cf. inprimis p. 48, 12 sqq.). Haec coniectura eo fulcitur et confirmatur, quod cum illic [p. 48, 12 sqq.] eum

sequatur ordinem, ut primum eos introducat, qui in uno animo finem ponebant, dein, qui in corpore solo, tum, qui in utroque, hic Stoicos, Critolai discipulos, Epicurum voluptarium quasi uno spiritu nominat. Ex hoc altero Antiochi libro quae praecedit de fine explanatio grammatica num fluxerit, pro certo statui nequit. Verum tamen ab illo utpote Stoicorum doctrina imbuto talia esse recepta veri est simillimum.

Quoniam de bonorum fine pro virili parte disserui, de altero Arii capite, quod est de bonis ac malis, verba facere ingrediar.

Huius explanationis fit exordium a boni aliquot definitionibus, quae Ascalonitae deberi videntur. Stoica enim est ea sententia, ut bonum sit, unde utilitas percipitur [p. 53, 22] (cf. Sext. Empir. adv. math. XI 33). Eius modi autem distinctiones, ut, quod ipsum secundum naturam est, et quod tale quid efficit, internosceret, [p. 53, 23 sqq.] illi placuisse [cf. Stoica de fin. III 6, 20] vidimus ad p. 52, 1, ubi virtus et quod eius particeps est Stoica ratione distinguuntur. Tum id apprime eius doctrinae convenit, quod p. 54, 5 sq. beatitudo et quae ad beatitudinem conferunt, h. s. corporis bona et externa [cf. infra ad p. 126, 12], nominantur. Ac ne Stratonis quidem disciplinam [p. 54, 6] ab eo neglectam esse docemur de fin. V 5, 13. Cf. acad. prior. II 38, 121.

Omitto proximam sectionem [p. 54, 10—55, 4], de qua infra videbo, et progredior ad id tmema [p. 55, 5—21], quo Plato bonum divisisse fertur in duas partes secundum genus, in tres secundum locum, in quinque secundum species; in quibus nihil inesse video, quod Antiochi mori repugnet; immo vero ex intima eius mente Plato πολύφωνος, non πολύδοξος esse perhibetur [55, 5—6; cf. p. 49, 25 sq.].

Ab hoc tmemate seiungere non licet disputationem, quae p. 56, 8—23 de Aristotele instituitur, ut cuius initio (τὴν μὲν τριάδα τῶν ἀγαθῶν καὐτὸς ὁμοίως Πλάτωνι κατὰ τοὺς τόπους) referamur ad Platonica p. 55, 10 sqq. Nec aliter

Antiochus apud Cic. Tusculan. disp. V 30, 85: „Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici nec multo veteres Academici secus". In ea, quae insequitur, divisione [p. 56, 9 sqq.] enarranda manifesto illius vestigia Arius premit. Corporis enim bona, quae iisdem fere exemplis illustrantur, quibus ab illo p. 47, 22 sqq. [p. 56, 13 sqq.], eius ratione non principia naturae, sed naturalia nominantur [cf. p. 52, 6]. His vero adnumerantur voluptatum corporis eae, quae non noceant iis, qui fruuntur. Ecce oritur quaestio subdifficilis, qua, quid de voluptate censuerit, investigandum est.

Rudolfus Hirzelius, Unt. II p. 713. omnes locos, quibus voluptas inter prima naturae habetur, ab eo alienos esse contendit eo potissimum loco nixus, quo Cicero proprie voluptatem secundum naturam esse negat [de fin. V 16, 45; cf. autem Bonhöffer „Die Ethik d. St. Epictet" p. 165. et 175 sq.]. Sed hunc locum si paullo accuratius examinaveris, facile cognosces contrariam eius, quam Tullius tuetur, sententiam Antiocho esse ascribendam et Ciceronem hic ab eo, quem ceteroquin ducem sequitur, digredientem suam ipsius in medium proferre opinionem. Providere enim sese fatetur Piso Antiochius fore, qui p r a e t e r m i s s a m a se voluptatem existiment; et deinceps rursus verba „ut m i h i quidem videtur" caute addit. Nec id opinationi meae obstat, quod Antiochus [Stob. ecl. II p. 47, 19] eos solet vexare, qui ὑποτελίδα in voluptate aut in quiete ponunt. Hac re eum impediri non potuisse, quo minus voluptatem in principiorum naturae chorum reciperet, eo fit perspicuum, quod ἀοχλησία quoque veluti de fin. IV 8, 20 illis adnumeratur [cf. Bonhöffer „Die Eth. d. St. Ep." p. 175].

Et in hac quoque re cum Panaetio Ascalonitam fecisse [1]) ultra omnem dubitandi aleam ponitur testimonio Varronis Antiochii, quod legitur apud Augustinum de civitate dei XIX 1 (vol. II p. 303, 6 sqq. Dombart):

1) Cf. de Panaetio Hirzel, Unters. II 438 sqq.; Schmekel „Die Ph. d. m. St." p. 224; de Posidonio Schmekel, p. 275.

„Quattuor esse quaedam, quae homines ... velut naturaliter appetunt, aut voluptatem ... aut quietem, aut utramque ... aut universaliter prima naturae, in quibus et haec sunt et alia vel in corpore ... vel in animo“.

Adde haec [ibd. XIX 2 p. 307, 38 sqq. Domb.]:

„Ex illis autem quattuor rebus Varro tres tollit, voluptatem scilicet et quietem et utramque; non quod eas improbet, sed quod primigenia illa naturae et voluptatem in se habeant et quietem ...“

Quae cum ita se habeant, reicio et Hirzelii sententiam et Doegii, qui l. c. p. 12. talibus Arii locis non germanam Ascalonitae doctrinam, sed quam veteribus istis placuisse voluisset, referri censuit.

At in bonorum enumeratione eo offendaris, quod externa neque inter expetenda per se neque inter alterum genus numerantur, sed plane omittuntur. Nota autem ea fuisse auctori docemur tripertita bonorum ratione, quae antea [p. 56, 8 sq.] perstringitur. Etiam Aristoteles, ubi per se expetenda internoscit ab iis, quae propter aliud quid appetuntur [ethic. Nic. I 5 p. 1097 a, 31 sqq.], priori generi τιμὴν assignat. Conicias igitur post vocem ἐπιφέρουσαι [p. 56, 16] unum duosve versus intercidisse[1]). Tamen quae tradita sunt mutare dubito. Velim enim attendas etiam p. 52, 4 sqq. externa bona prorsus praetermitti. Quamquam incertum, utrum ab Antiocho an a Stobaeo oppressa sint.

Restat unum, quod haud indignum videtur, in quo expediendo paullulum commoremur. Irrepsit enim nescio quo pacto in huius disputationis finem terminus mere Stoicus, dico verba δι' αὑτὸ ληπτόν [p. 56, 22], quae adversa fronte pugnant cum totius expositionis ratione Peripatetica. Iam vero Antiochus licet de fin. IV 8, 20

---

1) Hanc fere desideres orationem coll. Stob. ecl. II p. 136, 14 sqq.: <καὶ τὰ λεγόμενα ἐκτός, πλοῦτος, δόξα, εὐγένεια, δυναστεία, φίλοι, συγγενεῖς, πατρίς>.

et alibi corporis bona non per se sumenda (ληπτά), sed per se expetenda esse vehementer contendat, attamen de fin. IV 8, 19, ubi veterum decreta cum Stoicorum comparantur, delabitur in eorum, quos impugnat, terminologiam. Sunt autem verba haec de fin. IV 8, 19: Habes, inquam, Cato, formam eorum, de quibus loquor, philosophorum. Qua exposita scire cupio, quae causa sit, cur Zeno ab hac antiqua constitutione desciverit, quidnam horum ab eo non sit probatum: quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint (sc. veteres), an quod omne animal ipsum sibi commendatum, ut se salvum in suo genere incolumeque vellet? an quod cum omnium artium finis is esset, quam natura maxime quaereret, idem statui debere de totius arte vitae, an quod, cum ex animo constaremus et corpore, et haec ipsa et eorum virtutes per se esse sumendas?" Cf. autem de fin. IV 7, 16.

His satis lucide ostendisse mihi videor, quae de Platone et Aristotele p. 55, 5—21 et 56, 8—23 proferuntur, ea omnia ad Antiochum esse referenda.

Hinc id licet colligere, quae de Platone p. 54, 10—55, 4 explicantur, ut quis bonorum divinorum et humanorum bipertita ratio exponatur eadem quae deinceps p. 55, 7 sqq., ex alio libro fluxisse[1]). Hunc fuisse librum Antiochi, cuius plus unum scriptum Arii in manibus fuisse evici [p. 17], veri simillimum esse putaverim. Hic enim non solum ipsa Platonis verba citare [cf. p. 53, 8 sqq.], sed etiam, quanta dicendi proprietate et venustate ille usus esset, praedicare solebat. Vide p. 54, 11 sq. διὰ τὸ κάλλος τῆς φράσεως καὶ διὰ τὴν σαφήνειαν: cf. p. 49, 25 sqq. et p. 55, 5 sq.

Proximus est locus de Platonicis, quae exstant p. 55, 22—56, 7. Sed de horum auctore, priusquam tractare aggrediar, opus erit de textu emendando pauca praefari. Neque enim quisquam non videt misere depravata esse

---

1) Hoc, opinor, indicatur ipsis Arii verbis p. 55, 5: Ἔτι καὶ τοῦτον ἐνδιαστελοῦμαι τὸν τρόπον.

quae leguntur p. 56, 2 sq.: μετὰ δ᾽ ἄλλων ἀγαθῶν (sic F; ἀγαθὸν P) τῶν τριῶν γενῶν ὅτι μετείληφεν αὐτοῦ τὰ δύο τὰ (om. P) σωματικὰ σὺν (ξὺν P) τοῖς ἐκτός. Haec Usenerus ut ad sanam rationem adduceret, scribi iussit μόνον δὲ τὸ καλὸν ἀγαθόν; reliqua quomodo distinxerit, e Wachsmuthii annotatione non satis liquet; sed utut res se habet, vix crediderim eam sententiam, secundum quam solum honestum est bonum, quam insuper non leni mutatione ille assecutus est, hic repetitam fuisse [cf. 55, 22]. Wachsmuthii vero tentamina, qui ὅσον pro ὅτι et αὐτῆς pro αὐτοῦ rescribere est ausus, quando quidem priora non sanavit, nihil valent.

Emendationem benigne mecum communicavit Dielesius, qui quae ipse inveneram [1]) corrigens sic totum locum refinxit: p. 55, 22 sqq. Μόνον μὲν τὸ καλὸν ἀγαθόν, καθότι τῶν ὄντων οὐδὲν ἀγαθόν, εἰ μή τι μεταλάβοι τῆς ἀρετῆς, ὥσπερ ὁ δαλὸς καὶ ὁ σίδηρος τοῦ πυρός, οὗ χωρὶς οὐδὲν ἁπλῶς θερμόν· μετὰ δ᾽ ἄλλων ἀγαθόν (sc. τὸ καλόν) [τῶν τριῶν γενῶν], ⟨καθ⟩ότι μετείληφεν αὐτοῦ τὰ δύο, τὰ σωματικὰ σὺν τοῖς ἐκτός.

Verba τῶν τριῶν γενῶν vel ⟨περὶ⟩ τῶν τριῶν γενῶν in margine olim adscripta, ut ad totam paragraphum pertinerent, in textum, ubi locum non habent, irrepsisse manifestum est.

Hactenus de textu. De auctore primo quidem obtutu ita fortasse iudices, ut haec ab Antiocho abhorrere affirmes. Stoicorum enim de honesto doctrina [cf. Wachsm. ad 56, 22] quod illorum more Platoni obtrudi videtur [Hirzel, Unt. II 256(4) et 338; Schmekel „Phil. d. m. St.“ 383; de Posidonio v. Galen. de pl. H. et Pl. 279, 35

1) Ego cum voculae μέν p. 55, 22 (μόνον μὲν τὸ καλὸν ἀγαθόν) respondere perspexissem illud δέ p. 56, 2 (μετὰ δ᾽ ἄλλων), sic locum corrigere conatus eram: μόνον μὲν τὸ καλὸν ἀγαθόν . . . τῶν δ᾽ ἄλλων ἀγαθόν (τῶν τριῶν γενῶν), ὅ τι μετείληφεν αὐτοῦ (τὰ δύο, τὰ σωματικὰ σὺν τοῖς ἐκτός). H. e. „solum honestum est bonum . . . Reliquorum vero id tantum, quod honesti particeps est“. De parenthesi cf. p. 46, 12 (τοῦτο δὲ ἦν „τὸ ἐκ τῶν τριῶν γενῶν“) vel p. 51, 4 (τρία γὰρ ὑποτίθεται γένη) vel p. 53, 9 (ἡδονὴ καὶ λύπη).

Muell.; Tuscul. V 12, 34], repugnare videtur illius rationi, qui de fin. IV 25, 68 istam sententiam gravissimis verbis reprehendit. At praeter illud honestum, quod etiam Antiochus Stoicorum ratione interpretabatur [cf. p. 52, 1 et Wachsm. ad p. 55, 22], etiam alia bona, corporis sc. et externa, admittit is, cuius librum Didymus hic excerpsit [cf. p. 55, 23 sqq.]. Atque rem ita cum Stoicorum ista doctrina conciliare studet, ut reliqua illa bona non nisi cum virtute bona esse velit[1]). En certissimum originis habes indicium. Eam enim Ascalonitae fuisse rationem notissimum est, ut Zenonem insinuasse se in antiquam philosophiam asseveraret neque quicquam aliud nisi verborum novitatem ad veterum dogmata attulisse eo demonstraret, quod Platonica et Peripatetica ad Stoicorum sententias accommodabat. Cf. acad. post. I 9, 35; 11, 42; 12, 43; de fin. V 8, 22; Tuscul. V 11, 32; Krische, Goetting. Stud. 1845, p. 167 et 172.

His argumentis si quem nondum in meam sententiam traduxi, perlegat, quae Varro Antiochius perhibet ap. August. de civ. dei XIX 3 p. 309, 23 sqq. Dombart:

„Haec enim (virtus) bene utitur et se ipsa et ceteris, quae hominem faciunt beatum, bonis. Ubi vero ipsa non est, quamlibet multa sint bona, non bono eius sunt, cuius sunt, ac per hoc iam nec eius bona dicenda sunt“ [2]). Addo hoc p. 56, 6 sq. verbis τοῖς γὰρ ἀνθρωπίνοις τὸ δύνασθαι ὠφελεῖν ἐκ τῶν θείων πάρεστιν significari bonorum divisionem in divina et humana, quae p. 55, 7 sqq. Antiocho duce enarratur.

Haec igitur, quin Ascalonitae debeantur, nullus dubito; neque aliud facio iudicium de ultima huius commentationis sectione, qua num omne honestum propter se expetendum sit, Arius quaerit [p. 56, 24—57, 12]. Comparantur primum Plato et Aristoteles secundum Antiochi

1) Cf. etiam Stob. ecl. II 147, 22 sqq. et infra ad h. l.

2) Conferri fortasse possunt etiam Tulliana de gloria de fin. V 24, 69.

consuetudinem [p. 50, 11 sqq.; 56, 8 sqq.]. Deinde Stoica ratione, opinor, τὸ καλόν ita definitur, ut sit κλητικὸν ἐφ' αὑτό [cf. von Scala, „Die Studien des Polybius" 1890, p. 243 [4]]; hoc ab illo esse receptum ad Stob. p. 123, 6 (καὶ τὸ κάλλος οὐ μόνον διὰ τὴν χρείαν αἱρετόν, ἀλλὰ καὶ δι' αὑτό· ὅτι γὰρ ἐξ αὑτοῦ προσκλητικόν ⟨τι⟩ ἔχει τὸ κάλλος, ἐμφανές) evincam. Tum comparare licet haec:

p. 57, 8 sqq.:	p. 50, 11 sqq. (Antioch.):
Καὶ τὴν εὐδαιμονίαν οὗτος (Aristot.) μὲν ἀπὸ τῆς χρήσεως ἀναφωνεῖ, Πλάτων δὲ καὶ ἀπὸ τῆς κτήσεως[1]).	Ἀριστοτέλης (finem esse ait) χρῆσιν ἀρετῆς τελείας ἐν προηγουμένοις. Ἡ μὲν οὖν χρῆσίς ἐστι πλέον τῆς κτήσεως.
	p. 50, 5 (Antioch.):
	τοῦτο δὲ (sc. finis sec. Platon.) αὖ κτῆσις ἅμα καὶ χρῆσις.

Haec duo, quin ex uno scriptore originem duxerint, quis potest dubitare? Postremo quartum admovere possum argumentum idque fortasse gravissimum.

Velim conferas hosce locos:

Stob. ecl. II p. 57, 4 sqq.:	Cic. acad. post. I 10, 38:
Τῷ δ' Ἀριστοτέλει δοκεῖ τὰς μὲν ἕξεις οὐκ εἶναι δι' αὑτὰς αἱρετάς, δι' ἄλλο γάρ τι, τὴν ἐνέργειαν. Πᾶσα γὰρ ἕξις διὰ ταύτην ὡς τὸ οὗ ἕνεκα, τοῦτο ⟨δὲ⟩ δι' αὑτὸ αἱρετὸν ὑπάρχει, ὡς χρῆσις καὶ τέλος τοῦ βίου.	Cumque illi (veteres) ea genera virtutum, quae supra dixi, seiungi posse arbitrarentur, hic (Zeno) nec id ullo modo fieri posse disserebat nec virtutis usum modo, sed ipsum habitum per se esse praeclarum.

Quod hic Platoni, id illic Zenoni attribuitur. Eadem igitur ratio hoc loco cognoscitur quae in Platonicis p. 55, 22—56, 7; ubi Antiochum Platonis decreta cum Stoicis consociare vidimus.

---

1) Comparare licet: Proclus in Timaeum vol. I p. 56 ed. Diehl: Καὶ ἔοικεν, φησίν, διὰ τούτων εἶναι δῆλος οὖν οὐ τὴν ἕξιν τῆς ἀρετῆς καθ' αὑτήν, ἀλλὰ τὴν ἐνεργοῦσαν αὐτάρκη πρὸς εὐδαιμονίαν τιθέμενος.

In ipsorum placitorum enarratione quoniam explicav unde sua hausisset Arius — Antiochum autem ubique, ut videtur, exscripsit — disputatio instituatur de iis, quae sunt praemissa.

Leguntur autem initio definitiones aliquot Platonicae, Stoicae, Peripateticae [p. 37, 15—39, 14]; has ut expediam, exordium capere placet ab iis, quae p. 39, 4—9 exhibentur. Atque id velim attendas, ut hic p. 39, 7 in affectu secundum Zenonem describendo ἐνέργεια et δύναμις Peripatetico more inter se opponuntur, ita p. 57, 2 Platoni ἐνεργείας notionem obtrudi. Ad Antiochum igitur deducimur. Haec autem sectio verbis ὁ μὲν οὖν Περιπατητικὸς οὕτως[1]) tam arte cum Peripateticis p. 38, 18—39, 3 copulata est, ut ad eundem auctorem eam referre liceat.

Porro Stoici ut hic cum Aristotele, ita antea p. 38, 14 sqq. cum Platone comparantur Ascalonitae more [cf. imprimis acad. post. I 4, 13 sqq., sqq.][2]). Nec levius fortasse argumentum, quod id fuisse videtur auctoris consilium, ut omnes, quas profert finitiones, nominibus differre, rebus conspirare ostenderet. Cf. Stob. ecl. II p. 48, 17 sqq. Atque Stoicorum ratione [Schmekel l. c. p. 261; Galen. de plac. Hipp. et Pl. p. 453, 15 sqq. Muell.], sed quam ab Ascalonita receptam esse infra ad p. 128, 20 docebo, animi pars irrationalis (τὸ ἄλογον μέρος) opponitur rationi (τῷ λόγῳ) p. 38, 5 sq.; alibi melius τὸ λογικόν (sc. μέρος) legitur velut 38, 12 sq. Denique Platoni vel Platonicis [p. 38, 14] p. 38, 12 similis attribuitur affectionis definitio atque Aristoteli p. 38, 20:

38, 12 Plat.	38, 19 Arist.
Πάθος . . . ψυχῆς τοῦ ἀλόγου	Τὸ μὲν οὖν 'ἄλογον' κατὰ τοῦ

1) Nempe intellegendus est Aristoteles [38, 18; 39, 1], ita ut frustra Wachsm. in addendis Stob. ecl. I p. XXXIX. οἱ μὲν οὖν Περιπατητικοί scripsisse putandus sit.

2) p. 122, 5 sq. legimus: καὶ γὰρ οὐδὲν ἕτερον τὴν εὐδοξίαν κατὰ τὴν ὑπογραφὴν παρειλήφαμεν, εἰ μὴ τὸν παρὰ τῶν πολλῶν ἔπαινον; quae Antiochia esse infra docebo ad h. l. Ad tales ὑπογραφάς num spectant, quas hic tracto, definitiones?

μέρους ποιότης καθ' ὑποτακτικὸν λόγον δυναμένη τῷ λογικῷ ἐπακολουθεῖν.	μὴ ἔχοντος τὸν ἀρχικὸν λόγον τάττει, τὸν γὰρ ὑποτακτικὸν ἔχει, καθ' ὃν ὑπακούειν πέφυκε τοῦ λογικοῦ.

Haec sufficiunt, ni fallor, ad omnes hasce definitiones Antiocho vindicandas.

Secuntur moralis loci divisiones inde a p. 39, 15 ad p. 45, 6; et duae quidem hodie feruntur, Philonis Larisaei et Eudori Academici; sed e verbis [p. 41, 26 sqq.] „Οὕτως μὲν οὖν ἡ Φίλωνος ἔχει διαίρεσις. Ἐγὼ δ' εἰ μὲν ἀργοτέρως διεκείμην, ἀρκεσθεὶς ἂν αὐτῇ συνεῖρον ἤδη τὰ περὶ τῶν ἀρεσκόντων, τῇ τῆς ἐξαμερείας ἐπικουφιζόμενος περιγραφῇ· ἡγούμενος δ' ἐμαντῷ πρέπειν πρὸ παντὸς τὴν οὐσίαν δεῖν ἐπισκοπεῖν, οὗ τις πραγματεύεται, κἄπειτα ποιότητα τὴν περὶ αὐτὴν καὶ ποσότητα, καὶ τούτοις ἐφεξῆς τὸ πρός τί, νομίζω προσεπιπονητέον [τε] εἶναι καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἐπισκοπεῖν, καθάπερ οὐ πάντων, οὕτως τῶν περὶ ταῦτα διενεγκάντων“ ex his, inquam, verbis, quae nonnisi ad partitiones ethices pertinere apparet, plures ab Ario scriptas fuisse perspicuum est. Habemus igitur non integram illius epitomen, sed a Iohanne excerptam.

His perpensitatis eas, quae servatae sunt, divisiones examinemus.

Atque quoniam Philo ante Ascalonitam floruit ac de Eudori aetate nihil constat, utrum hos auctores ipse adierit Didymus Arius an ut reliqua haec quoque Antiocho debeat, quaerere licet. Ego ita sentio: cum Larisaei διαίρεσις p. 39, 20 sqq. valde laudetur, de Antiocho utpote illi infenso cogitari non posse est in propatulo. Ipse igitur Arius Philonis librum et Eudori exscripsisse existimandus est.

In altera vero partitione Academici illius, cui similes leguntur ap. Senec. epist. 89, 14 et de offic. II 18[1]), insunt, quae diligentius inspicienda esse videantur.

Unum vidit Wachsmuthius, quae p. 42, 15—22 enar-

1) Cf. Hoyer, „De Antioch. Ascal.“, p. 22 sqq.

rantur, quippe quibus eadem sententia quae proxima oratione [p. 42, 22—24] exprimeretur, aliunde fortassis esse inserta. Alterum vero neglexisse videtur. Theoretico moralis philosophiae loco perlustrato sic enarrare pergit Stobaeus: Καὶ ὁ μὲν περὶ τὴν θεωρίαν τῆς καθ' ἑκάστου ἀξίας λόγος εἰς τοσούτους τόπους γενικοὺς τέμνεται, finem manifesto imponens huic generi. Iam exspectes, quae p. 44, 3 proferuntur: τοῦ δὲ περὶ τῆς ὁρμῆς λόγου ὁ μέν ἐστι περὶ τῆς ἰδικῆς[1]) ὁρμῆς, ὁ δὲ περὶ παθῶν. At inter haec duo, quae seiungi nullo modo posse nemo non intellegit, inserta est particula, qua de bonis malisque tractatur; haec [p. 43, 16—44, 2] quin hic olim locum non habuerit, eo minus est in dubio, quod inepte annectitur vocula γάρ. Quapropter num ad Eudori partitionem pertineat, valde ambigi potest. Fortasse res ita explicanda est, ut et haec et ea, quae Wachsmuthius deprehendit, a Stobaeo, cum Arium excerperet, ex iis divisionibus, quas omisit, huc delata esse putemus.

Iam vides incertissimo fundamento Zelleri et Wachsmuthii opinionem niti, qui theoreticae disciplinae subdivisionem hanc fere olim fuisse iudicabant:

„Τοῦ γὰρ περὶ τὴν θεωρίαν τῆς καθ' ἕκαστον ἀξίας τὸ μὲν περὶ τῶν σκοπῶν καὶ τῶν λεγομένων τελῶν τοῦ βίου, τὸ δὲ περὶ τῶν συμβαλλομένων εἰς τὴν τῶν τελῶν περιποίησιν. ⟨καὶ τὸ μὲν περὶ τῶν τελῶν διαιρεῖται εἴς τε τὸ περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ τὸ * * * * * τοῦ δὲ περὶ τῶν συμβαλλομένων εἰς τὴν τῶν τελῶν περιποίησιν⟩ τὸ μέν ἐστι περὶ τῶν ἀρετῶν καὶ κακιῶν κτλ.

Hanc orationis formam falsam esse nescio an altera quoque ratiocinatione effici queat. Audiamus, quae Hirzelius, qui Zellero se mancipavit, Unt. II 818 disserit: „Denn 48 wird der theoretische Teil des ἠθικὸς λόγος eingeteilt in den Abschnitt, der es mit den σκοποὶ oder

1) Pro ἰδικῆς cum Meinekeo εἰδικῆς rescribere dubito propter illud ἰδίως p. 44, 11.

τέλη (denn beide Worte sind offenbar gleichbedeutend) und den anderen, der es mit den συμβαλλόμενα εἰς τὴν τῶν τελῶν περιποίησιν zu tun hat. Einen Teil dieses letzteren Abschnittes bildet die Betrachtung der ἀρεταί. Dieselben werden auf diese Weise von den τέλη d. h. den ἀγαθὰ geschieden und haben nur noch als Mittel, durch die wir zu den τέλη gelangen, einen Wert. So fremdartig diese Lehre dem erscheinen muß, der sich gewöhnt hat, in Eudoros einen Anhänger des Antiochus zu sehen, so schwebt dieselbe doch innerhalb der akademischen Schule nicht in der Luft und erinnert an Carneades, der als τέλος die πρῶτα κατὰ φύσιν aufstellte, von diesen aber die Tugend ausgeschlossen hatte, vgl. Madv. zu Cicero de fin. IV 15 S. 502[2]".

Recte hic statuisse videtur non nisi ab eo, qui Carneadis more virtutem a fine segregavisset, talia excogitari potuisse. Neque vero exclusam fuisse virtutem aut exploratum est aut verisimile. Immo inde, quod Eudorus proprium locum assignavit officiis (καθήκοντα) et recte factis (κατορθώματα) eumque accuratius subdivisit [p. 44, 18—45, 6], Stoicorum ratione usus, quadam cum probabilitate permultum eum tribuisse virtutibus colligitur. Quae cum ita sint, eas tantum species ab Eudoro significatas esse crediderim, quae p. 43, 7—10 in libris efferuntur, easque sic ad genera [p. 42, 2—3] esse referenda, ut verba „τὸ μέν ἐστι περὶ τῶν ἀρετῶν καὶ τῶν κακιῶν, τὸ δὲ περὶ τῶν κατὰ τὰς ἀρετὰς ⟨καὶ τὰς κακίας⟩[1]) ποιῶν (ὅπερ καὶ καλεῖται χαρακτηριστικόν) ad prius genus spectent scoporum et finium, verba autem τὸ δὲ περὶ τεχνῶν, τὸ δὲ περὶ ἐπιτηδευμάτων pertineant ad ea, quae valeant aliquid ad finium adeptionem. Has quattuor species ita enumerat Iohannes, ut nullo discrimine facto aliam ponat iuxta aliam similiter ac p. 45, 2—6; quin etiam cum iis, quae praecedunt, nullo modo coniunguntur. Quod cum non sit

---

1) Verba <καὶ τὰς κακίας> addenda esse cum per se patet tum apparet e proximis περὶ τῶν ἀρετῶν κ. τ. κακιῶν.

e more Stobaei, librarii culpa orationem hiare concedens dubito, num sic oratio sit consarcienda:

43, 1 sqq.: Τοῦ γὰρ περὶ τὴν θεωρίαν τῆς καθ' ἕκαστον ἀξίας τὸ μὲν περὶ τῶν σκοπῶν καὶ τῶν λεγομένων τελῶν τοῦ βίου, τὸ δὲ περὶ τῶν συμβαλλομένων εἰς τὴν τῶν τελῶν περιποίησιν· ⟨τούτων⟩[1]) τὸ μέν ἐστι περὶ τῶν ἀρετῶν καὶ τῶν κακιῶν κτλ.

1) an <ὧν>?

Caput II.

De eclogis Peripateticis.

Inter excerpta Peripatetica apud Stobaeum servata [p. 116, 19 - 152, 25 Wachsm.] et Ciceronis de fin. librum quintum magnam quandam similitudinem intercedere primus perspexit Madvigus [de fin. exc. VII extr.] isque quam brevissime comprobare studuit Iohannis quoque excerpta ex Antiochi scriptis hausta esse. Sed non ad ipsum Ascalonitam adiisse, verum ex Arii compendio sua hausisse Stobaeum Meinekeus, ut dixi p. 1, demonstravit. Itaque Didymus quibus auctoribus usus sit, quaeritur. Atque Zellerus, etiamsi nonnulla alio modo enarrari atque ab Antiocho apud Ciceronem [hist. phil. gr. [3] III[a] p. 616 n. 1] non negavit, tamen omnino id tenuisse videtur simplicem doctrinam et unam ab Ario proferri. Longe angustioribus finibus Antiochia circumscripsit Meurerus [progr. Wimar. 1859. extrem.] solam disputationis partem priorem usque ad p. 128, 9 vel 129, 17 W. Ascalonitae assignans, cuius adprobavit opinationem Dielesius [dox. gr. p. 69]. Tum Hirzelius [Unt. II p. 603 sqq.] e multis suae fere aetatis scriptoribus tmemata Didymum excerpsisse eaque valde neglegenter ac sine omni iudicio tamquam conglutinasse ostendebat Antiocho nihil fere relinquens. Ultimus de Stobaei eclogis Peripateticis egit Henricus Doege [„Quae ratio intercedat inter Panaet. et Antioch. Asc. in morali phil.“ Halis Sax. diss. 1896 p. 6—12]; qui ea ratione usus, ut veterum doctrinae formam Antiochum in eo libro, quem Arius usurpavisset, rettulisse a sua ipsius hic illic recedentem putaret, Ascalonitae deberi coniecit, quaecumque usque

ad p. 134, 6 vel 19 et a p. 143, 24—145, 10 leguntur, reliqua aliunde esse petita.

Tamen rem nondum satis esse expeditam spero fore, ut ex ipsa, quam propositurus sum, dissertatione eluceat.

Incipit Arius ab adumbrata de anima eiusque partibus commentatione, quae ad p. 118, 4 continuatur. Hic congruenter cum Antiocho virtutem, cuius quasi scintillulae naturae beneficio nobis inditae sint [de fin. V 7, 18 et 15, 43], consuetudine et ratione ad perfectionem adduci statuit [v. quae exposui p. 10]. Nec aliter iudicandum est de bipertita ratione animi, cuius una pars rationalis, irrationalis altera esse fertur. Hanc partitionem Antiochiis ap. Cic. de fin. IV 2, 4 subesse Madvigus in comment. aliqua cum veritatis specie coniectavit idemque colligitur e de fin. IV 7, 18, ubi manifesto virtutes contemplativae ab ethicis separantur; denique res optime convenit cum ea sententia, quam Tullius uberius tractavit de fin. V 18, 48—21, 58: innatam esse in unoquoque et intellegendi et agendi aliquid cupiditatem. Porro eo, quod rationalis partis τὸ ἐπιστημονικὸν et τὸ βουλευτικὸν internoscuntur, Peripatetica ratione, sed quae etiam a Panaetio [Schmekel l. c. p. 216] et a Posidonio [ibd. p. 272[1]] recipiebatur, segregatur prudentia (φρόνησις) a sapientia (σοφία), hoc quoque procul dubio convenienter Ascalonitae disciplinae, qui de fin. IV 8, 19 et V 15, 43 prudentiam et cognitionem rerum seorsum ponit [cf. Doege l. c. p. 36]. Peripateticae huic rationalis animi partitioni adiungitur mirum in modum irrationalis Platonica in partem concupiscentem et irascentem. Quam confusionem quam maxime decere Antiochum nemo non videt [cf. Schmekel l. c. p. 397]. Ceterum Platonicam animi divisionem ab eo utpote Academico esse receptam haud scio an elici possit e verbis, quibus eius sententia, qui posse aliquid pro certo affirmari censebat, acad. prior. II 25, 116 sqq. impugnatur; legimus enim § 124. haec: „Sed redeo ad animum et corpus. Satisne tandem ea nota sunt nobis, quae nervorum natura, quae venarum?

Tenemusne, quid sit animus? ubi sit? denique sitne an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus? Si est, tresne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis, an simplex unusque sit? . . . . . Horum aliquid vestro sapienti [sc. Antiocho] certum videtur, nostro ne quid maxime quidem probabile sit occurrit."

Duarum quae de animi partibus proferuntur sententiarum Platonicam ad Ascalonitam referendam esse in propatulo est.

Paullo diutius commoror in iis explicandis, quae de morum virtute p. 118, 2 sqq. exhibentur: „ὅθεν[1]) καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν οὐκ εἶναι μὲν ἐπιστήμην, προαιρετικὴν δὲ τῶν καλῶν ὑπάρχειν."

Haec lacunosa esse patet. Etenim voci εἶναι, quae non sine causa ante μέν locum habet, altera opponatur necesse est. Id nimirum exprimi voluit Arius ethicam virtutem, quamquam non esset scientia, accedere tamen ad eius similitudinem. Haec coniectura bene fulcitur, loco quem investigavi Aspasii (quem multa Antiochia recepisse demonstrari potest), qui in ethic. Nic. p. 5, 30 ed. acad. haec perhibet:

„ἐπειδὴ γὰρ ἔνιοι ἡγοῦνται τὴν πολιτικὴν ἐπιστήμην εἶναι καὶ τὴν φρόνησιν, ἔνιοι δὲ οὐκ ἐπιστήμην, ἀλλ' ὅμοιόν τι[2]) ἐπιστήμῃ." Cf. ibd. p. 6, 16–31 et quae ad Apul. de Plat. et eius dogm. II 9 p. 112, 18 sqq. Thomas. infra in cap. IV. exp. De orationis forma licet conferre Aspas. p. 121, 16 „φιλία μὲν οὐκ ἔστι, ἔοικε δὲ φιλίᾳ". Scripserim igitur: ὅθεν καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν οὐκ εἶναι μὲν ἐπιστήμην ⟨,ἐοικέναι δὲ ἐπιστήμῃ . . .⟩ vel ⟨ἐοικέναι δὲ ἐπιστήμῃ διὰ τὴν προαίρεσιν⟩; quanta lacuna statuenda sit, non possum pro certo affirmare. Ad vocem προαιρετικήν p, 118, 3 vocabulum ἕξιν desideravit Wachsmuthius. Sed haud scio an totum membrum exciderit. Spectat enim

1) De argumentatione cf. Galen. de pl. H. et Pl. p. 590 Muell.

2) ὅμοιόν τι ἐπιστήμῃ scripsit H. Diels; ὅμοιον τῇ ἐπιστήμῃ codd. <τι> τῇ ἐπ. Heylbut.

ἕξις προαιρετική ad animi partem irrationalem eiusque virtutem, ἐπιστήμης autem notio pertinet ad rationalis animi ἐπιστημονικὸν μέρος [p. 117, 14; cf. Arist. Ethic. Nic. VI 3 p. 1139ᵇ, 16 sqq.]. Desideratur fortasse membrum, quod referatur ad βουλευτικὸν μέρος rationalis partis, cuius virtus (i. e. φρόνησις) ἕξις πρακτική intellegi solet. Cf. Stob. ecl. II p. 145, 11 sqq. Arist. Eth. Nic. VI 5 p. 1140ᵇ, 20 sq. Totum igitur locum sic fere suppleverim: ὅθεν καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν οὐκ εἶναι μὲν ἐπιστήμην, ⟨ἐοικέναι δὲ ἐπιστήμῃ· οὐδὲ πρακτικὴν μὲν ἕξιν,⟩ προαιρετικὴν δὲ τῶν καλῶν ὑπάρχειν.

Sententia autem quam recuperavi, apprime convenire mihi videtur Antiochi doctrinae, qui quamquam acad. post. I 10, 38 contra Stoicos omnem virtutem in ratione esse negat, nihilo minus de fin. V 13, 36 omnes virtutes quasi in mente ponit [cf. Madv. ad h. l. et p. 117, 7—10].

Secuntur praecepta de primo appetitu deque principiis naturalibus, quae veterum esse peculiaria asseverasse Antiochum supra vidimus [p. 11 sq.; cf. Doege p. 16]. De his, etiamsi iam Madvigus, quae ap. Cic. fin. IV 7, 16 sqq. et V 9, 24 sq. enarrantur, diligenter comparavit, attamen, ne illi tribuamus, quae ab eo sunt aliena — neque enim omnia Stoicorum decreta amplexabatur [cf. acad. pr. II 43, 133] — breviter placet tractare.

Arius congruenter cum Antiocho, posteaquam tribus perfici virtutem exposuit natura et consuetudine et ratione [p. 118, 5 sq.], in principiis naturae explicandis exordium capiens ab hominis natura e corpore animoque nos constare affirmat [de fin. IV 10, 25; V 12, 34; 9, 25; saepius]; quapropter id nos appetere, ut utrumque sit perfectum. Atque primum quidem „esse" nos cupere idque agere, ut nosmet conservemus [V 9, 24; 9, 26; 10, 27 sqq.]; bonam igitur valetudinem velle ac vitam, quia sint apta naturae et per se expetenda et bona; contra respuere morbum, dolorem, interitum ut contra naturam [V 11, 31; 17, 47]. Cara quippe nobis esse corpus et animum eorumque partes, facultates, actiones [de fin. IV 13, 32; V 13, 37]; per quas secundum studium se partes-

que suas integra et salva conservandi (h. e. κατὰ τὴν πρόνοιαν τῆς σωτηρίας p. 119, 3; v. Hoyer l. c. p. 23) initium fieri impetus, officii, virtutis [de fin. IV 14, 39]: namque cum contra naturam saepius mala appetantur ut bona, bona contra reiciantur propter inscitiam [V 10, 28], virtute nos ita comparari, ut in bonorum selectione et in reiectione malorum nunquam fallamur [IV 7, 16]; quo fieri, ut virtus omnibus rebus anteponatur [IV 18, 51] omnisque admiratio ad eam referatur [V 21, 60].

Denique officia, recte facta, peccata dignoscuntur, quod a Stoicis Antiochum recepisse notum est [IV 6, 15; cf. III 6, 20]:

Proxima sectione [p. 119, 22—121, 21] fusius agit de omnium hominum inter se coniunctione et caritate, quae initium capiens a domo serpat sensim foras ad totam gentem humanam [de fin. IV 7, 17; V 23, 65 sqq.; cf. III 20, 65 et 17, 57]. Quae inde a p. 120, 20 leguntur, quamquam apud Ciceronem non exhibentur, tamen, cum oratio continuetur, ex Antiochi libro petita esse liquet. Miror autem, quod nemo adhuc offendebatur verbis p. 121, 8 „τίνα δ' οὐ τῆς μετὰ τὸν βίον εὐφημίας πολὺν ποιεῖσθαι λόγον"; quibus agitur de bona fama post mortem adipiscenda. Haec abhorrent plane a scriptoris consilio, qui non propter usum vel gloriam vel tale quid (μὴ πρὸς ἀξίαν 121, 1 sq.) homines ab hominibus servari demonstrat; interrumpunt haec totam argumentationem. Aptissima vero sunt expositioni ei, qua gloriam aliaque huiusce generis per se expetenda esse ostendatur; hoc stabilitur testimonio Ciceronis, qui in Stoicorum doctrina enarranda de fin. III 17, 57 haec habet: „Qui . . . post eos (sc. Chrysippum et Diogenem) fuerunt, hanc quam dico bonam famam ipsam propter se praepositam et sumendam esse dixerunt . . . dicuntque, ut . . . ., sic futurae post mortem famae tamen esse propter rem etiam detracto usu consulendum."

His id quoque efficitur Antiochia ista verba sine dubio esse. Sed qui factum est, ut in hunc locum irre-

perent? Ego sic sentio: Antiochus ut omnes homines per se expeti demonstret, ita rem tractat, ut quod in universum ostendit, inde a p. 120, 20 exemplis rhetorice exornet. Talem vero disputationem desideres in proxima expositione [p. 121, 22—122, 10], qua profectus ab iis, quae antea effecit [p. 121, 22—24], amicitiam quoque et benevolentiam, laudem et bonam famam per se appeti evincit [de fin. IV 23, 62; V 27, 81; Tusc. V 10, 30]. Iam vero de hisce rebus Antiochum post aridiorem istam commentationem, quae p. 121, 22—122, 7 hodie legitur, ornatius et copiosius, omnino similiter atque antea p. 120, 20 sqq. dixisse conicio; hanc vero orationem excerpentem (incertum, Arius fecerit an Stobaeus)[1]) omisisse praeter unam istam de bona post mortem fama sententiolam; quam inscite ac neglegenter in alteram illam explanationem insertam esse. His absolutis transitum facit Arius ad corporis bona et animi, quae, ut docuit Antiochus de fin. V 23, 68 [cf. Zeller hist. phil. gr.[3] III[a] p. 608 et 616 adn. 1], multo maiorem dignitatem habere asseverat quam externa [p. 122, 7—10].

Pergit deinceps Ascalonitam sequi de corporis bonis disserens: cum homo constet ex animo corporeque, corpus quoque propter se expetendum esse [fin. IV 7, 16; 8, 19; V 12, 35; 13, 37]. Argumenta vero, quae a dogmate de omnium hominum caritate petuntur [122, 14 sqq.], omittit Cicero, cum de amore, qui omnes complectatur, postea demum exponat [V 23, 65] aliam argumentandi viam ingressus. Vides igitur Didymum et Ciceronem non eandem Antiochi commentationem ante oculos habuisse. Reliqua autem congruunt cum Tullii ratiocinatione: quandoquidem corpus propter se expetatur, partes quoque corporis virtutesque et corporis et eius partium sua sponte esse cara [IV 7, 16; V 13, 37]; ad quam rem demonstrandam quae profert exempla, eorum

1) Sed cf. quae p. 27. disserui; malim igitur de Iohanne cogitare.

unum, quod est de pulchritudine [123, 6 sqq.], redit de fin. V 17, 46.

His perlustratis, quae adhuc Antiocho duce effecit, p. 123, 17—25 comprehendens progreditur Didymus Arius ad animi bonorum praeter cetera praestantiam explicandam [de fin. V 13, 37 sq.]. Hic virtus inducitur quasi et sibimet ipsi et reliquis, quae bona sunt, sit conciliata; simili dicendi ratione utitur Varro Antiochius ap. August. d. civ. d. XIX 3 p. 309, 23 sqq.: „Haec enim (virtus) bene utitur et se ipsa et ceteris, quae hominem faciunt beatum, bonis . . .“

Eandem rem p. 124, 1—14 ita tractat Arius, ut plus e f f i c i animi virtutibus demonstret quam corporis; hoc nimirum inest in verbis ⟨ὑγίεια δὲ ψυχῆς⟩ σωφροσύνη τῆς σφοδρότητος ἀ π ο λ ύ ο υ σ α τῶν παθῶν ἡμᾶς — simile quid de temperantia praedicabat Panaetius [Doege p. 36] — et in iis, quae de animi robore vv. 7 sq. dicuntur: εὐρώστους τὰς ψυχὰς κ α τ α σ κ ε υ ά ζ ο υ σ α.

Verba autem p. 124, 1 οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν προεφωδευμένων τοῦτ' ἄν τις ἐπιλογίσαιτο, quae apud Stobaeum, quo referantur, habere non videntur, spectant sine dubio ad ea, quae ab Ario deinceps p. 124, 18—125, 13 de trium bonorum generum inter se analogia disseruntur; haec Antiochi in libro ante ea, quae de virtutum praeter reliqua bona praestantia exponuntur, extitisse e verbis ἀπὸ τῶν προεφωδευμένων manifestum est. Cicero hoc argumentandi genus, ut ieiunius fortasse, omittit. Cf. tamen de fin. IV 23, 62; V 27, 81; Tuscul. V 10, 30; acad. I 5, 21.

Huic disputationi finem imponit Arius p. 125, 14 sqq. congruenter cum Antiocho, ad cuius verba remittit p. 125, 23, vitam definiri exponens actionibus civilibus et communibus et contemplativis [de fin. V 20, 57; 21, 58]; non enim φίλαυτον esse virtutem secundum hanc disciplinam, sed socialem atque civilem [cf. August. d. civ. d. XIX 3 p. 310, 8 Dombart: „Hanc vitam beatam etiam socialem perhibent esse“]. Secundum has actiones man-

sionem quoque in vita, sicut exitus contrariis circumscribi. Sed de hac re quae p. 126, 2 sqq. enarrantur, quem ad modum sint accipienda, accuratius est inquirendum. Nequaquam enim arridet Wachsmuthii coniectura, qui v. 6. κακῶς pro καί in textum recepit; et omnino Stoicorum de voluntaria morte placitum eis qui subsecuntur versibus 7—11 non refutari, immo probari persuasum habeo. Hoc ut ostendam, conferam haec:

Stob. p. 126, 2 sqq.	Stoica ap. Cic. d. fin. III 18, 60.
Τούτοις δ' ἀκολούθως καὶ τὰς μονὰς τὰς ἐν τῷ ζῆν παραμετρεῖσθαι ταῖς κοινωνικαῖς καὶ πολιτικαῖς καὶ θεωρητικαῖς πράξεσι καὶ τὰς ἀφόδους ἐκ τῶν ἐναντίων.	Sed cum ab his (sc. mediis) omnia proficiscantur officia, non sine causa dicitur . . . in his et excessum e vita et in vita mansionem; itaque et manendi in vita et migrandi ratio omnibus iis rebus, quas supra dixi, metienda.

Stob. p. 126, 5 sqq.	Cic. de fin. III 18, 60.	Stob. II 110, 9 sqq.
ὥστε καὶ τοῖς σοφοῖς εὔλογον ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν θεωρεῖσθαι καὶ τοῖς φαύλοις εὔλογον ἐν τῷ ζῆν μονήν.	E quo apparet, et sapientis esse aliquando officium excedere e vita, cum beatus sit, et stulti manere in vita, cum sit miser.	Φασὶ δέ ποτε καὶ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐκ τοῦ βίου τοῖς σπουδαίοις καθηκόντως ⟨γίγνεσθαι⟩ κατὰ πολλοὺς τρόπους, τοῖς δὲ φαύλοις ⟨τὴν⟩[1]) μονὴν ⟨τὴν⟩ ἐν τῷ ζῆν καὶ οἳ μὴ μέλλοιεν ἔσεσθαι σοφοί· οὔτε γὰρ τὴν ἀρετὴν κατέχειν ἐν τῷ ζῆν οὔτε τὴν κακίαν ἐκ-

1) <τὴν> addidi coll. supra τὴν ἐξαγ. τὴν ἐκ τ. βίου.

Τοῖς γὰρ ἐκτελεῖν δυναμένοις τὰς κοινωνικὰς καὶ πολιτικὰς πράξεις καὶ θεωρητικὰς καὶ τῶν σπουδαίων καὶ τῶν φαύλων εὔλογον ἐν τῷ ζῆν εἶναι μονήν, τοῖς δὲ μὴ δυναμένοις εὔλογον ἐκ τοῦ ζῆν ἀπαλλαγήν.

In quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est, in vita manere; in quo autem aut sunt plura contraria aut fore videntur, huius officium est e vita decedere.

βάλλειν. τοῖς δὲ καθήκουσι καὶ τοῖς παρὰ τὸ καθῆκον ⟨παρα⟩μετρεῖσθαι τήν τε ζωὴν καὶ τὸν θάνατον.

Haec quam mire concinant, cuiusvis est perspicere. Omnia recte procedunt[1]) et significatur commune quoddam officium sapientis et insipientis [126, 9 sq. „καὶ τῶν σπουδαίων καὶ τῶν φαύλων“ cf. Cic. de fin. III 18, 59], quod pendet ab iis, quae media Stoici, Antiochus corporis bona et externa nuncupat [p. 125, 16 στοχάζονται ⟨δὲ⟩ καὶ τῶν ἄλλων (sc. τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν καὶ τῶν ἐκτός) . . . . . ὡς χρησίμων πρός τε τὸν πολιτικὸν καὶ τὸν κοινωνικὸν βίον καὶ δὴ καὶ πρὸς τὸν θεωρητικόν. cf. p. 52, 4 sqq.; p. 144, 5—15; Stoica p. 86, 1-3; 12—17] et a vita beata est seiunctum. Quo qui fungi possunt, in vita debent manere seu boni sunt seu mali, qui non possunt, e vita abire. Haec vero omnia Ascalonitae fuisse probata facile demonstratur: segregavit quodammodo actiones contemplativas, sociales civilesque a virtute et fine bonorum, ut testatur Varro ap. August. d. civ. d. XIX 2 p. 306, 33 sqq. Domb., ubi sunt haec:

„In otio autem litterato, vel in negotio publico, vel quando utrumque vicibus agitur, non continuo quisque

---

1) Ne ex iis, quae supra allegavi, scribendum esse conicias ὥσ<τε πο>τὲ καὶ τοῖς σοφοῖς εὔλογον ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν θεωρεῖσθαι κτλ., compares Diog. Laert. VII 130 et Clem. Alex. strom. IV 28 (II 260, 19 Staehl.), ubi verbum εὔλογος legitur omisso vocabulo ποτέ. Voluntaria mors, si εὔλογος est, sapienti permittitur.

beatus est. Multi quippe in quolibet horum trium possunt vivere et in appetendo boni fine, qui fit homo beatus, errare. Alia est igitur quaestio de finibus bonorum et malorum . . . et aliae sunt quaestiones . . . de tribus vitae generibus.“

Stoicorum autem de voluntaria morte decretum ab eo esse receptum ex iis colligitur, quae de fin. V 11, 32 et 20, 57 leguntur. Hoc quamquam perspexerat H. Doege l. c. p. 9, tamen p. 43. hoc quidem loco [p. 126, 7—11], quem Antiocho ascribit, Stoicum illud dogma reprobari fatetur miro se implicans errore, Wachsmuthii nimirum coniectura perductus.

Non minus difficilis est quaestio de proxima sectione [p. 126, 12—127, 2] instituenda. Neque tamen, quin haec quoque expositio Ascalonitae debeatur, ulla potest esse dubitatio. Etenim quae de virtutum animi praeter reliqua bona praestantia p. 126, 12—14 disputantur, ea referuntur manifesto ad priora: animi bonis cetera superari κατὰ τὸ δι᾽ αὑθ᾽ αἱρετόν p. 123, 17—27, κατὰ τὸ ποιητικόν p. 124, 1—14 [cf. quae exp. p. 36] fusius Antiocho duce Arius exposuerat. Dein contra Critolai sectatores [cf. p. 46, 10—13; de fin. II 12, 41 cum adn. Madv.] finis explicat descriptionem; quae, ut unde sit hausta cognoscas, primum conferas haec:

Stob. ecl. II p. 126, 14 sqq.	Cic. de fin. V 23, 68 extr.
. . . κατὰ τὸν λόγον οὐκ εἶναι συμπλήρωμα τὸ τέλος ἐκ τῶν σωματικῶν καὶ ἐκ τῶν ἔξωθεν ἀγαθῶν οὐδὲ τὸ τυγχάνειν ἁπάντων.	Nec vero umquam summum bonum assequi quisquam posset, si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.

Eo tamen hi loci differunt, quod Stob. dicit et corporis bona et externa, Cicero ea tantum, quae extra sunt; quo de vide Madv. ad. h. l. et quae paullo infra exp. p. 40 sqq. Definitionem porro, quae subsequitur p. 126, 17 sqq. „τὸ κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν ἐν τοῖς περὶ σῶμα καὶ τοῖς ἔξω-

θεν ἀγαθοῖς ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις καὶ κυριωτάτοις", Antiochiam esse iam vidit Madvigus ad de fin. V 23, 67 sq. et comprobatur his locis: Cic. de fin. IV 10, 25: „Quem (finem) . . . ita constitui necesse est earum rerum, quae sint secundum naturam, quam plurima et quam maxuma adipisci"; de fin. IV 11, 27 „Habere ea, quae secundum naturam sint, vel omnia vel plurima et maxuma." Attamen sunt, quae non nihil recedere videantur a Tullianis. Hic enim p. 126, 21 cum et corporis bona et externa efficientia tantum modo esse perhibeantur beatitudinis, ap. Cic. de fin. V 23, 67 sq. et 24, 71 corporis bona συμπληρωτικά, ea, quae extrinsecus sunt, ποιητικά esse feruntur; quo discrimine perspecto Hirzelius Unt II p. 715 sqq. Antiochum auctorem esse negavit. Quae cum ita sint, res diligentius est examinanda.

Dignoscuntur duo genera bonorum: unum eorum, quae pertinent ad finem (τελικά) [Stob. ecl. II p. 71, 15 sqq.] et beatitudinem, cuius partes sunt, complent (συμπληρωτικά) [cf. p. 130, 4 sqq.]; alterum eorum, quae efficientia tantum sunt beatae vitae (ποιητικά) et conferunt (συμβαλλόμενα) [p. 126, 21 sq.; 130, 8 sqq.] ad finem bonorum.

Haec duo qua re inter se differant, scite exponit Hirzelius Unt. II p. 571; cuius ipsa verba afferre liceat:

„Drückt man den Anspruch der äußeren Güter noch um einen Grad tiefer herunter, so kommt man auf die peripatetische Ansicht, nach der die äußeren Güter gewissermaßen neben den Tugenden stehen und mit ihnen zusammen den Inhalt der Glückseligkeit bilden [συμπληρωτικά, τελικά] . . . . Es bleibt noch eine Möglichkeit, daß jene Güter als solche gelten dürfen, nicht weil sie den Tugenden übergeordnet sind, auch nicht, weil sie ihnen gleichgeordnet sind, sondern weil sie ihnen dienstbar sind und die Mittel und Wege sind, durch die wir zu den Tugenden durch die Güter gelangen."

Hinc luculentissime apparet eos, qui cum Critolao

corporis bona et externa συμπληρωτικὰ appellabant, virtutis ad beatitudinem αὐτάρκειαν respuisse [cf. de fin. III 12, 41 et 42 init.], qui autem ποιητικὰ ea esse putabant, admisisse [cf. Hirzel p. 571 et p. 716]. Iam vero liquet Antiochum corporis bonis, sine quibus beatitudinem consistere posse Stoicis concedebat [de fin. V 26, 77], cum vitam beatam aut in universum felicitatem intellegebat, tantam vim tribuere non debuisse, ut iis compleri beatitudinem contenderet, debuisse tamen, cum de vita beatissima dicebat. Hoc ipsius testimonio confirmatur; legimus enim ap. Cic. de fin V 24, 71 haec:

„Illa enim quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita. ut sine illis possit beata vita existere. Ita enim parvae et exiguae sunt istae accessiones bonorum, ut quemadmodum stellae in radiis solis, sic istae in virtutum splendore ne cernantur quidem“ 1).

Ut rem paucis comprehendam: pendet totum hoc discrimen a duplici, quem Antiochus constituit, fine; quod ut magis fiat perspicuum, hanc propono tabellam:

	συμπληρωτικά	ποιητικά
1. vita beata	animi virtutes	corporis bona; externa
2. vita beatissima	animi virtutes; corporis bona	bona externa

Idem efficitur formula, quae acad. post. I 6, 22 legitur:

1) Prorsus igitur falsa esse neque Antiochi doctrinae ullo modo convenientia iudico, quae Hirzel. II p. 716 sqq. disputat.

„Hic finis bonorum videbatur, adipisci, quae essent prima natura [minus recte pro iis, quae κατὰ φύσιν sunt, πρῶτα κ. φ. dicit; cf. quae exp. p. 11] quaeque ipsa per sese expetenda, aut omnia aut maxima. Ea sunt autem maxima, quae in ipso animo atque in ipsa virtute versantur. Itaque omnis illa antiqua philosophia sensit in una virtute esse positam beatam vitam, nec tamen beatissimam, nisi adiungerentur et corporis et cetera, quae supra dicta sunt, ad virtutis usum idonea.“

Hac igitur definitione vitam beatam et beatissimam verbis „aut omnia aut maxima“ dignoscens comprehendit.

Vidimus igitur, quaecunque p. 126, 12—127, 2 leguntur, Antiochiae disciplinae apprime convenire praveque iudicasse et Hirzelium et Doegium [l. c. p. 11]. Iam vero, cum Critolai discipuli eadem prorsus ratione refutentur p. 46, 10—17, omnia, quae de Stoicis, Peripateticis, Epicuro illic explanantur, Ascalonitae sunt ascribenda. Hoc verum esse planum fit etiam his locis comparatis:

Stob. ecl. II p. 46, 16 sq.

Κρεῖττον οὖν ἦν εἰπεῖν, ἀντὶ τοῦ „συμπληρούμενον“ „ἐνεργούμενον“, ἵνα τὸ χρηστικὸν τῆς ἀρετῆς ἐμφαίνηται. Cf. quae exp. p. 17.

August. de civ. d. XIX 3 p. 309, 23 sqq. Domb.

Haec enim (virtus) bene utitur et se ipsa et ceteris, quae hominem faciunt beatum, bonis.

Eiusdem vestigia Arius sine dubio p. 129, 19—130, 12 premit:

p. 130, 8 sqq.

Τὰ γὰρ ὧν ἄνευ πράττειν ὁτιοῦν ἀδύνατον, μέρη τῆς ἐνεργείας λέγειν οὐκ ὀρθόν. Τὸ μὲν γὰρ μέρος ἐπινοεῖσθαι κατὰ τὸ συμπληρωτικὸν εἶναι τοῦ ὅλου, τὰ δ' ὧν οὐκ ἄνευ κατὰ τὸ ποιητικόν, τῷ φέρειν καὶ συνεργεῖν εἰς τὸ τέλος.

p. 46, 10 sqq.

Ὑπὸ δὲ τῶν νεωτέρων Περιπατητικῶν τῶν ἀπὸ Κριτολάου „τὸ ἐκ πάντων τῶν ἀγαθῶν συμπεπληρωμένον“ . . . οὐκ ὀρθῶς. Οὐ γὰρ πάντα τἀγαθὰ μέρη γίνεται τοῦ τέλους, οὔτε γὰρ τὰ σωματικὰ οὔτε τὰ ἀπὸ τῶν ἐκτός, τὰ δὲ τῆς ψυχικῆς ἀρετῆς ἐνεργήματα μόνης.

Porro haec comparare licet:

p. 130, 3 sqq.	p. 126, 23 sqq.
Πᾶσαν μὲν γὰρ πρᾶξιν ἐνέργειαν εἶναί τινα ψυχῆς.	. . ἡ μὲν εὐδαιμονία βίος ἐστίν ὁ δὲ βίος ἐκ πράξεως συμπεπλήρωται. Τῶν δέ σωματικῶν ἢ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν οὐδὲν οὔτε πρᾶξιν εἶναι καθ' ἑαυτὸ οὐθ' ὅλως ἐνέργειαν.

Instrumentis denique Antiochum corporis bona et externa comparavisse [p. 129, 21 sqq.] elucet e Senecae epistula 92. 14, qui Antiochum [cf. Hoyer l. c. p. 44 sq.; v. epist. 92 §§ 6 et 14] haec fingit dicentem: „Est quidem, inquit, sapiens beatus: summum tamen illud bonum non consequitur, nisi illi et naturalia instrumenta respondeant.“ Cf. etiam, quae infra exp. de Diog. Laert. III 78. Ad eundem spectare videntur haec ep. 87, 12: „In musica est aliquid bonum tamquam tibia aut chorda aut organum aliquod aptatum ad usus canendi [cf. acad. I 6, 22 „ad virtutis usum idonea“]; nihil tamen horum facit musicum.“

Sed iam nimis diu in his difficultatibus solvendis commoratus sum; transgredior nunc ad eam sectionem, quae inde a p. 127, 3 usque ad p. 128, 9 deducitur. Haec verbis τούτων δὴ τοῦτον τὸν λόγον ἐχόντων ad Antiochiam, quae praecedit, finis definitionem annectitur; similia autem prolata summi boni formula enarrat Cicero acad. post. I 6, 22:

Stob. II 127, 3 sqq.	acad. I 6, 22:
Τούτων δὴ τοῦτον τὸν λόγον ἐχόντων ἥ τε εὐεργεσία συστήσεται καὶ ἡ χάρις καὶ ἡ εὐχαριστία καὶ φιλανθρωπία καὶ φιλοτεκνία καὶ φιλαδελφία καὶ πρὸς ταύταις ὅ τε φιλόπατρις καὶ φιλοπάτωρ καὶ φιλοίκειος καὶ κατὰ τὸ προσῆκον ἥ τ'	„Unde et amicitia existebat et iustitia atque aequitas.“

εὐκοινωνησία καὶ ἡ εὔνοια καὶ ἡ φιλία καὶ ἡ ἰσότης καὶ ἡ δικαιοσύνη καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρετῶν θεῖος χορός.	de fin. V 23, 67 iustitiae adiunguntur: „pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeque sunt generis eiusdem."

Utroque loco aequitas Panaetii more, qui in hac re a vetustioribus Stoicis non minus dissentiebat quam ab Aristotele, ad iustitiam adiungitur nec benignitas deest in hac serie. Cf. Schmekel l. c. p. 374; Doege l. c. p. 33; Reitzenstein „Drei Vermutungen zur Geschichte der Römischen Litteratur" (in „Festschrift für Mommsen" 1893) p. 14; Cic. de offic. I 7, 20. Hinc consequitur totam hanc expositionem ad recentiorum Stoicorum de omnium hominum inter se caritate decretum, quod ab Ascalonita amore quodam arreptum esse notum est, spectare [de fin. V 23, 65]. Cum hac autem doctrina artissime cohaerere, quae de iustitiae inter virtutes quasi principatu efferuntur, mente velim teneas.

His absolutis Antiochio more [p. 119, 4 sqq.] de bonorum appetione et reiectione malorum disputatur et perstringitur v. 18. deliberatio ista de utili et honesto, quam a Panaetio incohatam, sed non tractatam esse Ciceronis testimonio [de off. I 3, 9] notum habemus.

At quae secuntur de prudentiae inter reliquas virtutes principatu, ea dissentire videntur ab iis, quae de iustitia tamquam virtutum summa Antiochus praedicabat [de fin. V 23, 65 sqq.]. Sed haec quoque Arii auctorem esse amplexum ex iis, quae initio huius sectionis dicuntur, coniciendum esse modo explicavi. Et utramque sententiam incohavit unus Aristoteles; qui ethic. Nic. V 1 p. 1130[a], 9 sqq. virtutem, quatenus in convictu hominum legi satisfaceret, omnem quodammodo sub iustitiae notionem cadere putavit, ut ἡ δικαιοσύνη esset οὐ μέρος ἀρετῆς, ἀλλὰ ὅλη ἀρετή. Tamen idem eth. Nic. VI 13 p. 1145[a] 1 sqq. de prudentia communi virtutis ethicae fundamento profectus ἅμα τῇ φρονήσει μιᾷ οὔσῃ πάσας ὑπάρξειν τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς affirmavit.

Quidni igitur Ascalonitam, utpote qui ex omnibus disciplinis, quodcumque maxime ei arridebat, libaret, utramque sententiam suam fecisse existimare liceat? Qui quod virtutes ethicas per se quidem rationis expertes tamen eius quodammodo participes fieri censebat [cf. p. 117, 7 sqq.], quo alio modo expediri hoc potuit nisi per prudentiam, quippe quae κριτική esset [Alexand. Aphrodis. in Arist. topic. p. 224, 22 ed. acad.] et versaretur in bonis seligendis et malis reiciendis [de fin. V 23, 67]? Qua de re dilucide argumentatur Albinus Platonicus p. 183 extr. ap. C. Fr. Herrmann. Plato dialogi vol. VI., Antiocho, ut infra in cap. IV. docebo, auctore usus. Omnino prudentiam eo, quod secundum Stoicos ad τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογὴν referretur, ita poni, tamquam si moralium virtutum summa esset, scite demonstravit Bonhoefferus „Die Eth. d. St. Ep.“ p. 182; cf. de fin. V 6, 16; 7, 18; Hirzel. Unt. II 530. Stob. p. 119, 4—15.

Sequitur explanatio de virtutis natura et indole; quam ut ex Ascalonitae libro petitam esse cognoscas, oculos velim revertas ad Arii prolegomena, ubi p. 51, 7 perfectam virtutem interpretatur κατὰ συμφωνίαν τοῦ λογικοῦ μέρους πρὸς τἄλογον τῆς ψυχῆς. His quae addit verba π ε ρ ὶ ὧ ν ὑ π ο β ὰ ς δ ι α ρ θ ρ ώ σ ω, ea pertinent procul dubio ad hoc caput: legis enim p. 128, 17 sqq. eandem sententiam copiosius his verbis expressam: „Δύο δὲ ὥσπερ ἀρχὰς τῶν ἀρετῶν ὑπάρχειν, τὸν λόγον καὶ τὸ πάθος· ταῦτα δὲ ὁτὲ μὲν ἀλλήλοις ὁμονοητικῶς συμφωνεῖν, ὁτὲ δὲ στασιαστικῶς διαφωνεῖν· τὴν δ' ἀντίταξιν αὐτῶν γίνεσθαι δι' ἡδονὰς καὶ λύπας. Τὴν μὲν οὖν τοῦ λόγου νίκην ἀπὸ τοῦ κράτους παρωνύμως ἐγκράτειαν ἐπωνυμίαν ἔχειν, τὴν δὲ τοῦ ἀλόγου διὰ τὸ τῆς ὁρμῆς ἀπειθὲς ἀκρασίαν· τὴν δ' ἀμφοῖν ἁρμονίαν καὶ συμφωνίαν ἀρετήν, τοῦ μὲν ἄγοντος ἐφ' ὃ δεῖ, τοῦ δ' ἑπομένου πειθηνίως [cf. p. 117, 7 sqq. 38, 20 sq.]. Haec quemadmodum intellegenda sint, optime illustratur Magn. Mor. II 7 p. 1206ª, 37—ᵇ 14 [cf. Gellius Noct. Att. XII 5, 8; Doege l. c. p. 36]. Ne id quidem videtur neglegendum esse vv. 21. et 22. τὸν λόγον opponi irrationali animi parti (τῷ ἀλόγῳ); quam

Stoicorum fuisse consuetudinem Schmekelius p. 261. docuit [cf. quae exp. p. 25]. Accedit, quod etiam virtus p. 128, 11 sq. simili ratione circumscribitur atque p. 51, 1:

128, 11 sq.	p. 15, 1 sq.
Ἀρετὴν δ' ὠνομάσθαι τὴν ἀρίστην διάθεσιν ἢ καθ' ἣν ἄριστα διάκειται τὸ ἔχον.	Ἡ δ' ἀρετὴ ἕξις ἡ βελτίστη ψυχῆς.

Annectitur tmema, quod est de rebus expetendis et fugiendis p. 128, 26—129, 17. Hic Antiochia ratione id, quod appetendum est, non solum Stoicorum more explicatur (p. 128, 27; cf. Stoica p. 75, 2 αἱρετὸν μὲν γὰρ εἶναι τὸ ὁρμῆς αὐτοτελοῦς κινητικόν; p. 57, 4 sq.], verum etiam „idem" visum esse „antiquis" quod bonum [p. 129, 4 sq.; cf. quae exposui p. 5. et p. 9.] perhibetur. Quid, quod etiam eius rationis, qua bona inde a v. 6. distinguuntur, vestigia ap. August. de civ. d. XIX 1 p. 304, 10 sqq. (Dombart) deprehenduntur? Ubi bona aut propter se ipsos aut propter alios homines appetere secundum Varronem explicatur. Adde, quod Cicero acad. II 43, 134 similiter atque Stob. p. 129, 12 necessaria bona seiungit. Denique convenienter Ascalonitae doctrinae, ut p. 40 sqq. ostendi, corporis bona et externa efficientia et συμβαλλόμενα esse dicuntur p. 129, 12—17 [συμβάλλεσθαί τι πρὸς τὴν τῆς ἀρετῆς χρῆσιν; cf. acad. I 6, 22 „ad virtutis usum idonea"].

Haec res proxima sectione, de qua supra disserui p. 42 sq., accuratius explicatur [129, 19—130, 12].

Nova bonorum divisio in honestum, utile, iucundum p. 130, 15 sqq. proponitur; quam Antiocho fuisse probatam ad p. 51, 18 sqq. vidimus [cf. p. 12]. At verbis „τὸ δ' ἐκ πάντων αὐτῶν εὐδαιμονίαν" subesse suspicatus est Hirzelius Unt. II p. 712[1] Critolai de fine opinionem, quae ab Ascalonita vehementer impugnabatur [126, 15 sq.]. Sed tamen Antiochum quoque haec scribere potuisse discimus e loco, qui exstat acad. post. I 5, 19, ubi Tullius beatissimam sane vitam significans finem esse ait bonorum adeptum esse omnia e natura et animo et corpore et

vita. Porro tales beatitudinis definitiones illi placuisse, quales p. 130, 18—21 enarrantur, ad p. 50, 11 demonstravi, et verba „τὸ δ' αὐτὸ καὶ τέλος ὑπάρχειν“ repetuntur p. 48, 6 sq. [cf. p. 51, 17 sq.]. Tamen Arius verba p. 130, 18 sq. „χρῆσιν ἀρετῆς τελείας ἐν βίῳ τελείῳ προηγουμένην“ varias hic legentibus proponens definitiones ex alio auctore, ut infra comprobabo, hausisse videtur. Sed quae subsecuntur misere sunt corrupta: legimus autem haec p. 130, 21 sqq. „εἰ δὲ τὸ μὲν εὐδαιμονεῖν τέλος, ἡ δ' εὐδαιμονία λέγεται σκοπὸς καὶ ὁ μὲν πλοῦτος ἀγαθόν, τὸ δὲ πλουτεῖν ὧν χρή, τοῖς μὲν οὕτω διορίζουσι τῆς ἀκριβείας τῶν ὀνομάτων χάριν· ἀκολουθητέον μέντοι τῇ τῶν ἀρχαίων συνηθείᾳ κτλ.“.

Ad haec sananda variis coniecturis viri docti usi sunt, e quibus ne una quidem mihi arridet. Spengelius audacius quam verius τοῖς in οὗτοι mutat et post verba ὧν χρή lacunam statuit; nec propius ad verum accedit Rassovius, qui hanc orationis formationem suo arbitrio efficit: . . . ὁ μὲν πλοῦτος ἀγαθὸν ⟨ὧν σκοπός⟩, τὸ δὲ πλουτεῖν ὧν χρὴ ⟨τέλος λεκτέον⟩. Omnino omnes, qui verba ὧν χρή coniecturis attigerunt, erravisse contendo; in quibus inesse ipsam definitionem τοῦ πλουτεῖν, quae voci ἀγαθόν [p. 130, 23] respondeat, docemur Stobaei aliquot locis, qui ad Stoicorum doctrinam spectant:

p. 78, 8 sqq.: αἱρετὸν μὲν εἶναι ⟨ἀγαθὸν⟩ πᾶν, αἱρετέον δὲ ὠφέλημα πᾶν, ὃ θεωρεῖται παρὰ τὸ ἔχειν τὸ ἀγαθόν. Δι' ὃ αἱρούμεθα μὲν τὸ αἱρετέον, οἷον τὸ φρονεῖν, ὃ θεωρεῖται παρὰ τὸ ἔχειν φρόνησιν sqq.

Ὠφελήματα autem, quo nomine appellentur, docemur altera sententia:

p. 101, 6 sqq.: Τὰ δὲ παρακείμενα τοῖς ἀγαθοῖς, ἅπερ ἐστὶ ὧν χρή, ὠφελήματα ὄντα, μόνοις τοῖς σπουδαίοις συμβαίνειν. Cf. p. 86, 5 sqq.

Erravit igitur etiam Usenerus, qui scribendum esse suspicatus est τὸ δὲ πλουτεῖν ⟨τελικ⟩όν, χαριέντως μὲν οὕτω διορίζουσι; nec minus Fr. Olivier, qui in ea dissertatione, quam „de Critolao Peripatetico“ confecit, p. 23 adn. sic orationem refingebat „τὸ δὲ πλουτεῖν, ὧν χρὴ τυχεῖν, οὕτω

διορίζουσι sqq. Ac ne Wachsmuthius quidem, quamquam verba ὧν χρή retinuit, cum ⟨χρησ⟩τῶς vel ⟨χαρίεν⟩τως pro vocula τοῖς p. 131, 1 proponendo nimis a librorum lectione recesserit, laudandus est.

Quae cum ita sint, cum Meinekeo lacunam statuo, quam hac ratione expleo:

εἰ δὲ τὸ μὲν εὐδαιμονεῖν τέλος, ἡ δὲ εὐδαιμονία λέγεται σκοπὸς καὶ ὁ μὲν πλοῦτος ἀγαθόν, τὸ δὲ πλουτεῖν ὧν χρή, τοῖς μὲν οὕτω διορίζουσι τῆς ἀκριβείας τῶν ὀνομάτων χάριν ⟨ἑκτέον⟩ [1]· ἀκολουθητέον μέντοι κτλ.

De enuntiati forma cf. Procl. in Timaeum ed. Diehl I p. 378: „εἰ δὲ θαυμάζουσίν τινες . . ., ῥητέον πρὸς αὐτούς, ὅτι . . .".

His praemissis de auctore agere placet. Antiochiam esse finis definitionem, quae „veteribus" p. 131, 4—6 attribuitur p. 40. exposui idemque cadit in alteram, secundum quam finis est rerum expetendarum extremum (τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν; cf. de fin. V 13, 37). His quae opponuntur subtiles distinctiones scopi et finis, talium, ad Critolai sectatores, quos Antiochum respexisse supra vidimus [ad 126, 15 sq.], recte rettulisse mihi videtur Olivierus l. c. p. 23 [2]). Tum sequitur brevis explanatio de bonis, quae extra animum sunt; haec congruenter cum Antiocho tantuli aestimat Didymus, ut συμβαλλόμενα h. e. ποιητικά [cf. p. 126, 20—22] esse dicantur ac subservire tantum summo bono. [Prave de hac re iudicat R. Hirzel, II 712; cf. adn. 1.] Sed haec verba (vv. 8 sqq.) ita sunt formata, ut contra alios philosophos ea proferri appareat: nempe verbis (v. 11.) τῶν ἀγαθῶν ὁμολογουμένως χρὴ λέγειν impetus fit in Stoicos, qui quae Arii auctor bona appellat, ea

---

1) Vel <ἰστέον>: „Man muß ihnen wegen der Genauigkeit in der Terminologie Dank wissen . . .".

2) Cf. Simplicius in phys. p. 303, 30 sq. Diels: ὅτι διχῶς τὸ τέλος τὸ μὲν ὡς τὸ οὗ ἡ ἔφεσις (ὅπερ σκοπὸν οἱ νεώτεροι καλοῦσιν, οἷον ἡ ὑγίεια, ἧς ὁ ἰατρὸς στοχάζεται) sqq. Similia placuere Stoicis [Stob. II 77, 25; cf. 74, 7—11], qui tamen hic, cum divitiae bonis adnumerentur, intellegendi non sunt; cf. ad p. 131, 8 sqq.

producta nuncupabant, quae mala, ea reiecta, quae media, media [cf. Stob. p. 80, 14].

Simillimum autem in modum Antiochus porticus philosophos impugnabat, veluti de fin. V 26, 78 vel 29, 89.

Concluditur haec sectio in Wachsmuthii editione hac sententia: οὐ πᾶσαν δὲ καλὴν πρᾶξιν εὐδαιμονικὴν ὑπάρχειν; quae, si quid video, sic mente supplenda est: „ἀλλὰ μόνην τὴν ἐν ἀγαθοῖς“. Negat igitur is, quem Arius hic quidem sequitur, contra Ascalonitam, ut accuratius paullo infra docebo, beatitudinem una virtute esse contentam.

Eo quod insequitur tmemate [p. 131, 14—132, 18] explicatur manifesto ea definitio, quae p. 130, 18 sq. proponitur (εὐδαιμονίαν δ' εἶναι χρῆσιν ἀρετῆς τελείας ἐν βίῳ τελείῳ προηγουμένην); talia Ascalonitae quoque placuisse supra p. 47. adnotavi. Etiam perfectas et imperfectas virtutes ille distinxit Stoicos secutus [1]) et progressionem ad virtutem (προκοπήν) comprobavit [de fin. IV 23, 63—24, 65].

Attamen nullo modo adduci possum, ut Antiochia haec esse concedam. Etenim pressis verbis unam virtutem ad beatitudinem sufficere negat Arius p. 132, 8: Προηγουμένην δὲ τὴν τῆς ἀρετῆς ἐνέργειαν διὰ τὸ πάντως ἀναγκαῖον ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἀγαθοῖς ὑπάρχειν, ἐπεὶ καὶ ἐν κακοῖς ἀρετῇ χρήσαιτ' ἂν καλῶς ὁ σπουδαῖος, οὐ μήν γε μακάριος ἔσται, καὶ ἐν αἰκίαις ἀποδείξαιτ' ἂν τὸ γενναῖον, οὐ μὴν ⟨γ'⟩ εὐδαιμονήσει. Αἴτιον δ' ὅτι ἡ μὲν ἀρετὴ καλῶν μόνον ἐστὶν ἀπεργαστικὴ καθ' ἑαυτήν, ἡ δ' εὐδαιμονία καὶ καλῶν κἀγαθῶν [cf. Hirzel, Unt. II p. 715].

At dices: res ita fortasse potest expediri, ut non propriam Antiochi doctrinam, sed quam veterum Peripateticorum esse volebat a sua ipsius sententia hic illic recedentem, proferri putemus. Sed ne haec quidem ratio, qua Doegius temere usus est, ullo modo potest probari. Sententia enim, quam Antiochus veteribus attribuebat, nequaquam est diversa a sua ipsius; audiamus, quae perhibet acad. I 6, 22: „Itaque omnis illa antiqua phi-

1) Cf. Freudenthal, Hellenistische Studien, p. 282.

losophia sensit in una virtute esse positam beatam vitam, nec tamen beatissimam". Addo quae leguntur Tuscul. disp. V 31, 86: „Sequetur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita virtutem cumque ea descendet in taurum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone auctoribus nec eam minis, blandimentis corrupta deseret". Cf. de fin. IV 18, 51; V 26, 78.

Ex hoc numero unus excipitur Theophrastus „et si qui illum secuti imbecillius horrent dolorem et reformidant" [Tuscul. V 30, 85; de fin. V 25, 75; 26, 77]. Nec vero id licet existimare Theophrasteos hic significari. Vix enim credibile est eandem finis descriptionem ab Ascalonita modo e mente Aristotelis, modo e Theophrasti sententia explicatam esse [cf. Stob. p. 51, 12 sqq.].

Gravius vero est argumentum, quod tota haec sectio cum proxima [p. 132, 19—134, 6] cum particula γάρ (v. 19) tum doctrinae similitudine tam arte est coniuncta, ut utraque eidem auctori ascribenda sit. Huic autem Peripatetico quae placuerunt, ea non solum cum Antiochi disciplina pleraque adversa fronte pugnant, sed etiam omnino cum iis, quae alibi Aristoteli eiusque discipulis Arius ascribit, ita ut non unam esse ac simplicem totam de Peripateticis commentationem luculenter appareat.

Primum quidem beatitudinem, cum Antiocho accrescere posse placuerit ad vitam beatissimam [de fin. V 29, 88; 32, 95], Arius p. 131, 20 augeri infitiatur.

Deinde contra illum p. 132, 22 virtutem prorsus stabilem esse negatur [de fin. V 5, 12; 26, 77 sq.; 30, 92]; nec omnino eam sufficere ad beate vivendum [p. 133, 19 sqq.; cf. Hirzel, p. 715[1]; Zeller, hist. phil. Graec.[3] p. 617[1]]. Qua cum doctrina cohaeret, quod medius quidam habitus constituitur, quo et sapiens et insipiens uti possit [p. 133, 6—11]; quem neque εὐδαίμονα esse neque κακοδαίμονα. [v. Zeller, l. c.]

Tum voluntariam mortem in eos cadere sapientes,

qui summis miseriis opprimantur, congruenter cum Antiocho [p. 126, 2 sqq.] Arius p. 134, 2 sqq. ponit; sed tamen in eo magnum est discrimen, quod p. 126, 7 sqq. homines mali ei, qui vitae officiis pares sint, e vita decedere vetantur, hic p. 134, 4 omnes mali indigni esse dicuntur, qui in vita maneant.

Sed is, cuius doctrinam Didymus in duabus hisce sectionibus usurpavit, veror, ne accuratius, cuinam sectae addictus fuerit, extricari possit. Etenim in propatulo est verbis, quae p. 132, 20 sq. leguntur: οὔτε δ' ἐπιτείνεσθαι (sc. τὴν εὐδαιμονίαν) καθάπερ τέχνην ὀργάνων πλήθει καὶ παρασκευῇ, alius philosophi sententiam impugnari. Haec autem nulla potest alia intellegi nisi Antiochi Ascalonitae, qui corporis bonis et externis tamquam instrumentis[1]) [v. quae supra exp. p. 43] beatam vitam usque eo cumulari posse existimabat, ut fieret beatissima. Propter quam rem non solum a Cicerone vituperatur [de fin. V 26, 77 sqq., imprimis 27, 81 extrem. et 28, 83], verum etiam a Seneca epist. 92, 5, qui hisce verbis utitur Posidonii, ut videtur, armis Stoicam doctrinam defendens[2]): „Quidam tamen augeri summum bonum iudicant, quia parum plenum sit fortuitis repugnantibus“.

Attamen is, cui Arius hoc loco se mancipavit, quoniam virtutem solam ad felicitatem suppeditare infitiabatur, non nisi ea ratione Ascalonitam potuit prosternere, ut adventiciis bonis maiorem vim tribuens beatitudinem compleri tribus istis generibus affirmaret. Haec autem fuit sententia eorum, qui Critolaum Peripateticum sequebantur corporis bonis et externis maiorem dignitatem attribuentes quam Ascalonites [cf. quae exp. p. 39 sqq.;

1) Ceterum haec sententia exprimitur [cf. infra cap. IV] ap. Diog. Laert. III 78: τὴν δ' ἀρετὴν αὐτάρκη μὲν εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν, ὀργάνων δὲ προσδεῖσθαι τῶν περὶ σῶμα πλεονεκτημάτων . . . καὶ τῶν ἐκτός . . . οὐδὲν δὲ ἧττον εὐδαίμονα ἔσεσθαι τὸν σοφόν, κἂν ταῦτα μὴ παρῇ.

2) De Antiocho Senecae auctore cf. Hoyer, l. c. p. 44 sq. (v. ep. 62 §§ 6 et 14); de Posidonio v. ep. 92 §§ 1, 8, 10; Bonhoeff., Ep. u. d. Stoa, p. 91; Zietschmann „De Tusc. disp. fontt.“ diss. Halis, p. 36.

Olivier „De Critolao Perip.“ p. 47[1]]. Habemus igitur in Arii Didymi eclogis Peripateticis duas sententias contrarias, quarum una ex Antiochi scriptis petita Critolaus eiusque sectatores impugnantur (p. 126, 12—127, 2 et 129, 19—130, 12), altera rursus Ascalonitae de fine doctrina improbatur a recentiore nescio quo philosopho, qui Critolai vestigia premebat (p. 131, 12—134, 6). Hunc non ante Antiochum floruisse, sed eius aequalem fortasse putandum esse inde liquet, quod illum aggreditur. Iam vero quaenam huiusce philosophi de beatitudine sententia fuerit, haud scio an accuratius constitui queat. Rursus evolve Senecae epist. 92. ubi auctor § 19. Antiocho relicto novum inducit adversarium his verbis: „Invenitur, qui dicat sapientem corpore parum prospero usum nec miserum esse nec beatum“; quae sententia deinceps (§ 20) sic explicatur: „Deinde sapiens, cui corpus molestum est, nec miser habebitur nec beatus sed ⟨in⟩ medio relinquetur“ [cf. § 21]. En eandem habes de sapiente doctrinam ap. Stob. p. 133, 6 sqq.:

„Τὸν ⟨δ'⟩ ἀφαιρεθέντα τὴν εὐδαιμονίαν οὐκ εἶναι κακοδαίμονα, καθάπερ τὸν μηδ' ὅλως ἔχοντα ταύτην, ἀλλ' ἐσθ' ὅτε μέσον“.

Haec Critolai doctrinae, qui virtuti, licet non tanti eam aestimaret, quanti Antiochus, tamen permultum tribuebat[1]), apprime convenire nemo non videt.

Sed quomodo accipienda sunt, quae ap. Arium v. 9. secuntur: „Βιοῦν γάρ ποτε καὶ σοφὸν καὶ μὴ σοφὸν τὸν μέσον λεγόμενον βίον, τὸν μήτε εὐδαίμονα μήτε κακοδαίμονα“? Insipientis media vita quaenam est? Responsum dat Alexander Aphrodisieus, qui in top. p. 175, 15 sqq. ed. acad. haec exhibet: „Καὶ εἰ μέν τις εὐδαίμων, οὗτος οὐ κακοδαίμων· οὐ μήν, εἰ μὴ εὐδαίμων, κακοδαίμων ἐξ ἀνάγκης· οὐ γὰρ ἀμέσως ἀντίκειται εὐδαιμονία τε καὶ κακοδαιμονία, ἐπεὶ

---

1) Cf. Olivier, l. c. p. 26 et 59; sed hic, quaenam peculiaris Critolai de virtute sententia fuisset, non satis expedivit.

ἐνδέχεταί τινα σπουδαῖον ὄντα μὴ εἶναι εὐδαίμονα, καὶ εἰ μὲν σπουδαῖος, οὐ κακός, εἰ δὲ μὴ σπουδαῖος, οὐκ ἐξ ἀνάγκης κακός".

Haec ultima, cum ἡ κακοδαιμονία sit χρῆσις κακίας [Stob. p. 133, 23], spectant sine dubio ad mediam quandam vivendi rationem eorum, qui non sunt sapientes. Quae res accuratius illustratur loco Albini Platonici (quamquam hic alii auctori debetur; cf. quae exp. in cap. IV.) p. 183, ap. Herm. Plat. dial. VI, ubi sunt haec: „Παραδεκτέον δὲ καὶ μεταξύ τινα διάθεσιν μήτε φαύλην μήτε σπουδαίαν· οὐδὲ γὰρ πάντας ἀνθρώπους ἢ σπουδαίους εἶναι ἢ φαύλους· τοὺς γὰρ ἐφ' ἱκανὸν προκόπτοντας τοιούτους εἶναι· οὐ γὰρ ῥᾴδιον εὐθέως ἀπὸ κακίας ἐπ' ἀρετὴν μεταβῆναι· πολλὴν γὰρ εἶναι τὴν διάστασιν πρὸς ἄλληλα τῶν ἄκρων καὶ ἐναντίωσιν".

Vides proficientis (τοῦ προκόπτοντος) condicionem describi, de qua Arii auctor p. 131, 17 disserit[1]). Omnia igitur, quae inde a p. 131, 12 (οὐ πᾶσαν δὲ κ. πρ.) usque ad p. 134, 6 enarrantur, ad unum redeunt Stoicissantem Critolai discipulum et ad Antiochia, quae praecedunt, male sunt assuta.

Id quod insequitur tmema (p. 134, 8—19) Antiocho rursus debetur; nam quae vv. 17 sqq. de bonis per se expetendis enarrantur, ea ad verbum fere respondent iis, quae p. 129, 19 sqq. explicantur:

p. 134, 17 sqq.	p. 129, 19 sqq. (Antioch.).
Τῶν δὲ δι' αὑθ' αἱρετῶν τὰ μὲν εἶναι τελικά, τὰ δὲ ποιητικά. Τελικὰ μὲν τὰς κατ' ἀρετὴν προηγουμένας πράξεις· ποιητικὰ δὲ τὰ ὑλικὰ τῶν ἀρετῶν.	Τὴν δ' εὐδαιμονίαν ἐκ τῶν καλῶν γίνεσθαι καὶ προηγουμένων πράξεων· διὸ καὶ δι' ὅλων εἶναι καλήν. . . . οὐ γὰρ ἐκβιβάζειν τὴν παράληψιν τῶν ὑλικῶν τῆς εἰλικρινείας τοῦ καλοῦ τὴν εὐδαιμονίαν.

Porro corporis bona et ea, quae extrinsecus sunt (haec enim sunt τὰ ὑλικά; cf. Bonhoeffer „Ep. u. d. St."

1) Cf. Bonhoeffer „D. Eth. d. St. Ep." p. 220 sq.

p. 31. saepius; ind. ad „D. Eth. d. St. Ep.“ s. v. ὕλη et ὑλικός), efficientibus Antiochum adnumeravisse supra p. 40 sqq. vidimus. Quid? Eo, quod verba, quae initio huius sectionis leguntur (ἐπεὶ δ' ἡμῖν εὐδαιμονία τὸ μέγιστον ἀγαθόν . . .), excipiunt Antiochia, quae p. 131, 6—12 enarrantur (τοῦτο δὲ μέγιστον ὂν τῶν ἀγαθῶν κτλ.), nonne optime stabilitur et munitur, quod statui aliunde esse inserta, quaecunque his sectionibus interiacent?

Difficilior est quaestio de proximis divisionibus instituenda; atque primum inde a p. 134, 20 usque ad p. 136, 8 eiusdem philosophi sententiam continuari contendo. Ei enim partitioni, quae secundum locum obtinet (p. 135, 1—10) eadem subest divisio in τίμια, ἐπαινετά, δυνάμεις, ὠφέλιμα atque ei, quae initio est collocata [134, 20 sqq.]. Deinde certum auctoris in disponendo consilium apparet; quod, ne multus sim, hoc stemmate explicem:

Ἀγαθά
1) καθ' αὑτὰ αἱρετά — 2) δι' ἕτερα αἱρ. } p. 135, 1—10

1) καθ' αὑτὰ αἱρετά:
1) τέλη — 2) οὐ τέλη } p. 135, 11—16

1) τέλη:
1) παντὶ ἀγαθά — 2) οὐ παντί } p. 135, 17—136, 8.

Ex hac ipsa tabella p. 135, 17 finium (τέλη) notionem desiderari facile concluditur. Nec vero opus est quae tradita sunt τῶν τελέων cum Spengelio et Wachsmuthio in τῶν τελῶν mutare. Etenim gen. plur. formam τελέων Arii aetate usitatam fuisse docemur a Croenerto “Memoria Graeca Herculanensis“ 172.

Hae autem divisiones, sintne ex Antiochi libro delibatae necne, cum illius doctrinae non repugnent, sed tritissimae sint [cf. quae Wachsm. adn.; porro Alex. Aphr.

in top. p. 229, 2 sqq.[1]); 237; 242, 25 sqq.; Aspas. in eth. Nic. p. 13, 24 sqq.; Apuleius de Platon. et eius dogm. II 10 p. 113, 15 sqq. Thomas] difficillimum est ad diiudicandum. Sed dicendi ratio ab illo mihi aliena videtur esse: nam, ut ea, quae hic καθ' ἑαυτὰ αἱρετά dicuntur, ab illo δι' αὑτὰ αἱρετά nuncupari omittam, deest omnino apparatus iste, quem a Stoicis mutuatur, veluti p. 56, 9—23, quae quidem partitio cum verbis, quae p. 135, 1—10 de eadem re proferuntur, non sine fructu comparabitur. Quamquam rem non plane certam esse concedendum est.

Facillime vero proxima divisio expediri potest, qua tria bonorum genera distinguuntur Antiochio prorsus modo (cf. p. 118, 5—125, 13); gravius vero argumentum ex iis, quae de animi bonis disserit Arius petere licet; velim enim conferas hosce tres locos:

Stob. p. 136, 16 sqq.	Cic. acad. I 5, 20 sq.	de fin. V 13, 36.
Τῶν δὲ περὶ ψυχὴν ἀγαθῶν (1) τὰ μὲν ἀεὶ φύσει παρεῖναι, καθάπερ γὰρ[2]) ὀξύ-	Animi autem (esse), quae essent ad comprehendendam virtutem idonea; eaque ab iis in naturam (1) et mores (2) dividebantur. (1) Naturae celeritatem ad discendum et memoriam	Animi autem et eius animi partis, quae princeps est quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: (1) unum earum, quae ingenerantur suapte natura ap-

1) „ἐπεὶ γὰρ τῶν ἀγαθῶν τε καὶ αἱρετῶν τὰ μὲν δι' αὑτά ἐστιν αἱρετά, ὡς ἡ εὐδαιμονία καὶ ὅσα τίμια, τὰ δὲ δι' ἕτερον . . ." Recte igitur p. 135, 1 legitur: ἔτι τῶν αἱρετῶν καὶ ἀγαθῶν . . .

2) Voculam γάρ post καθάπερ cum Spengelio delevit editor; sed defenditur usu a Vahleno ad Arist. Poetic. ^{3} p. 129. explicato. Cf. etiam Diels Simplic. in phys. ind. s. v. γάρ (comm. in Arist. X p. 1382) et Aspas. in eth. Nic. p. 24, 3 sqq.: „Δεῖται δὲ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν ἡ εὐδαιμονία οὐχ ὡς μερῶν οὐδ ὡς ἀναπληρωτικῶν αὐτῆς, ἀλλ' ὡς ὀργάνων, καθάπερ γὰρ ἡ αὐλητικὴ πρὸς τὸ αὐτῆς τέλος δεῖται ὀργάνων, ἵνα τοῦ ἰδίου τέλους τύχῃ".

τητα καὶ μνήμην, τό τε ὅλον εὐφυίαν.	dabant: quorum utrumque mentis esset proprium et ingenii.	pellanturque non voluntariae. (Prioris generis est docilitas, memoria, quae fere omnia appellantur uno ingenii nomine, easque virtutes, qui habent, ingeniosi vocantur), alterum (2) autem earum, quae in voluntate positae magis proprio nomine appellari solent, quarum est excellens in animorum laude praestantia (alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum, quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam et reliquas eiusdem generis).
(2a) τὰ δ' ἐξ ἐπιμελείας περιγίνεσθαι, ὡς τὰς προπαιδεύσεις καὶ διαίτας ἐλευθερίους· (b) τὰ δ' ἐκ τελειότητος ὑπάρχειν, οἷον φρόνησιν, δικαιοσύνην, τελευταῖον δὲ σοφίαν.	(2) Morum autem putabant studia esse et quasi consuetudinem, quam (a) partim exercitationis assiduitate, partim (b) ratione formabant; in quibus erat philosophia ipsa. In qua (a) quod inchoatum est neque absolutum, progressio quaedam ad virtutem appellatur, quod (b) autem absolutum, id est virtus quasi perfectio naturae omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima.	

Cum his optime concinunt etiam ea, quae p. 116, 22—117, 10 exhibentur, ita ut omnibus hisce locis unius scriptoris ratio cognoscatur.

Deinceps bonorum alia comparari posse dicuntur et

amitti; alia comparari nec amitti, alia amitti nec comparari, alia nec comparari nec amitti. Hic quod legebatur ἀθανασίαν, id Useneri ingeniosa emendatione in ἀθαυμαστίαν correctum. Hac voce, qua quidem notum est Democriti summum bonum significari [cf. Stob. p. 52, 17 sqq.; Strabo I p. 61 C; Clem. Alex. strom. II p. 179 Sylb.], hoc loco moralis virtus comprehendatur necesse est. Hac autem re ad Antiochum deducimur, qui illius εὐθυμίαν quadam laude extollens cum Platonis sui beatitudine conferebat [cf. quae exposui ad p. 52, 13 sqq. p. 14]; cuius doctrinae id quoque conveniens est et aptum, quod virtus amitti posse negatur. Denique non solum sensum (αἴσθησις) [p. 123, 20] et vitam (τὸ ζῆν) [p. 118, 6; 129, 12; August. de civ. d. XIX 3 p. 309, 36 Domb.], verum etiam nobilitatem (εὐγένεια) [p. 129, 15; 136, 15] bonis adnumerabat.

Contra proxima bonorum partitio, ut qua divitiae ex eorum, quae per se expetuntur, serie excludantur [p. 137, 4—7; τὰ δὲ ποιητικὰ μόνον ὡς πλοῦτον], illi abiudicanda videtur esse[1]. Cf. p. 125, 3; 129, 15; 136, 14. Cum hac sententia, quoniam adversa fronte ea quoque pugnant, quae p. 135, 4 de divitiis proferuntur, bonorum divisiones, quae inde a p. 134, 8—137, 12 explicantur, ex variis fontibus consutas esse recte me iudice statuit R. Hirzel, Unt. II p. 704 sq.

Ultima sectio, qua secundum Aristotelem de decem bonorum categoriis enarratur [p. 137, 8—12; ethic. Nic. I 4 p. 1096^a, 19 sqq.; Categ. p. 1^a, 1, 2], ut ex verbis „ἄλλως δὲ πολλαχῶς“ concludo [p. 51, 8; p. 54, 9], fortasse rursus Antiocho debetur; neque enim ipsum Arium Aristotelis Categorias evolvisse credibile est.

His absolutis novum incipit caput, quo virtutem moralem mediocritatem quandam esse inter duo extrema exponitur. Qua de re duobus locis tractat Stobaeus et

1) Quamquam Antiochus in bonis diiudicandis non satis sibi constitisse videtur: cf. Madv. ad. de fin. V 27, 81.

verbis tam similibus, non ut ex uno libro haec petivisse putandus sit: p. 137, 14—142, 13 et 145, 11—147, 25 [Hirzel p. 697[1]]. Atque Doegius [p. 6 sqq.] duos internoscendos esse fontes autumat, unum mere Peripateticum [p. 137 sqq.], alterum Antiochi more Stoica admiscentem.

De hac altera sectione [145, 11—147, 25] recte mihi iudicasse videtur. Namque ut Chrysippeam esse subdivisionem eam, quae p. 146, 15—19 in medium profertur omittam — aliis quoque illorum temporum philosophis Stoica placuisse Eudori Academici exemplo comprobatur — quae p. 147, 22—25 de καλοκαγαθίᾳ efferuntur ut ethicarum virtutum summa ex Antiochi libro hausta esse, qui Peripateticam de mediocritate doctrinam veteribus adscripsit [cf. acad. I 10, 38 sq.; Doege p. 31; Schmekel p. 437], Augustini loco ita, ut nulla iam esse possit dubitatio, demonstratur:

Stob. p. 147, 22—25.	August. d. civ. d. XIX 3 p. 309, 23 sqq. Domb.
Τὴν δὲ ἐκ πασῶν τῶν ἠθικῶν ἀρετὴν συνεστηκυῖαν λέγεσθαι μὲν καλοκἀγαθίαν, τελείαν δ' ἀρετὴν εἶναι, τά τε ἀγαθὰ ὠφέλιμα καὶ καλὰ ποιοῦσαν τά τε καλὰ δι' αὑτὰ αἱρουμένην.	Haec enim (virtus) bene utitur et se ipsa et ceteris, quae hominem faciunt beatum, bonis; ubi vero ipsa non est, quamlibet multa sint bona, non bono eius sunt, cuius sunt, ac per hoc iam nec eius bona dicenda sunt.

Vides secundum Antiochi consuetudinem (de qua disserui p. 36) virtutem ita describi, quasi ipsa in delectu bonorum versetur; [p. 123, 21 sqq.] eamque effici sententiam, ut bona adventicia non nisi virtutis perceptione utilia et honesta (καλά) fiant[1]); idem Platoni attribuit Antiochus p. 55, 22 sqq.

Iam ad alteram sectionem vertamur, quam Theo-

1) Hinc apparet de voce καλά perperam Hirzelium, Unt. II p. 707, dubitavisse. Cf. quae exp. p. 23.

phrasto vindicandam esse Doegius Dielesii intentionem secutus [dox. p. 71] censuit. Neque potest negari sententias plerasque, utpote quae haud procul absint ab Aristoteleis, „apprime convenire“ eius mori anxie quidem summi magistri vestigia sequentis [v. Heylbut „de Theophrasti libris περὶ φιλίας“ p. 7]. Sed tamen inde, quod Theophrasti nomen bis citatur [p. 140, 8 et 15], ipsum Arium eius librum adiisse universa epitomae Didymeae ratione concludere vetamur; immo vero epitomator librum excerpsisse putandus est recentioris philosophi, qui Theophrasti doctrinam in suum usum convertebat ipsaque eius verba citabat [1]. Iam vero Antiochus, cuius plus unam commentationem a Didymo adhibitam esse supra p. 17. demonstravi, Theophrasti placita, etsi quae de beatitudine praedicabat, vexare solebat, semper in ore habuit [cf. acad. I 3, 10; de fin. V 25, 73; 28, 85; Tuscul. V 30, 85], quin etiam ipsa verba citavit de fin. V 29, 86: „Omnis auctoritas philosophiae, ut ait Theophrastus, consistit in beata vita comparanda sqq.“. Antiochi porro disciplinae, quae de virtutibus semet concomitantibus p. 142, 7 sqq. disseruntur, ex simili explanatione, quae p. 128, 2 sqq. legitur, apparet quam maxime convenire [2]. His argumentis possum adicere gravissimum hoc: doctrina, secundum quam καλοκἀγαθία h. e. ἡ τέλειος ἀρετὴ inter διανοητικὰς virtutes (p. 137, 19) commemoratur, adeo non est vulgaris, ut Trendelenburgius, num omnia sana essent, ambiguus haeserit [cf. autem Wachsm. adn.]. Idem vero statuit sine dubio Antiochus, qui virtutem congruenter cum Panaetio [de legg. I 16, 45; cf. Doege p. 23] rationis perfectionem [de fin. IV 13, 35] vel absolutionem [de fin. V 14, 38] appellabat et, quamquam alibi διανοητικὰς et ἠθικὰς ἀρετὰς distinguebat, tamen ap. Cic. de fin. V 13, 36 omnes virtutes tamquam in mente ponit [cf. Madv. ad h. l.]. Ac ne id quidem fortasse neglegendum est exempla, quae

1) Cf. inprimis p. 140, 15 ἀκολούθως τῷ ὑφηγητῇ sqq., unde a posterioris aetatis scriptore haec referri patet.

2) Cf. de offic. II 10, 35 init.

p. 137, 19—23 enumerantur, eadem fere esse atque Antiochia p. 136, 16—21 ap. Cic. ac. I 5, 19; de fin. V 13, 36.

Quae cum ita se habeant, haec quoque Ascalonitae vindicare non dubito.

Venio ad ea, quae de animi affectionibus, de amicitia, de gratia p. 142, 15—143, 23 explanantur. Haec tria, cum amicitia et gratia p. 142, 16 bonis affectibus adnumerentur, ex uno fonte manasse proclivis est coniectura [cf. Hirzel, Unt. II p. 696 [1]]. Haec opinio ultra omnem dubitandi aleam hac ratiocinatione ponitur: quae Albinus Platonicus [ap. Herm. Plat. dial. VI p. 187, cp. 33], cui quae ratio cum Ario intercedat, infra in cap. IV. explicabo, de amicitia et amore commemorat, ita inter se cohaerent et copulata sunt, ut ex uno eodemque fonte primario derivare ea liceat.

Idem autem fons subesse videtur Arii verbis, de quibus nunc quaeritur. Enumerat Albinus naturalem parentum in liberos cognatorumque inter se benevolentiam, tum civilem ac sodaliciam amicitiam, denique amorem, in quo tres distinguuntur species honesti, turpis, medii. Etiam ab Ario p. 143, 1—11 quattuor dignoscuntur φιλίας genera ἑταιρικῆς, συγγενικῆς [= φυσικῆς], ξενικῆς [= πολιτικῆς: cf. Arist. eth. Nic. VIII 14 p. 1161[b], 13; Hobein, „De Maximo Tyrio sqq.“ diss. Gott., p. 52 [2]], ἐρωτικῆς; nec desideratur amoris tripertita ratio σπουδαίου, φαύλου, μέσου ordine sane rerum, ut assolet, perturbato [p. 142, 24—26]. Hoc addendum est: sequitur apud Arium [p. 143, 18—24] gratiae circumscriptio, quae nescio an ex eodem fonte originem duxerit. Hoc ut mihi persuadeam, adducor eo, quod ut Didymus, cum universe de gratia exponit, dearum, quae ex ea nomen acceperunt, mentionem facit, ita Albinus amoris generibus descriptis ad Amorem deum ipsum alludit.

His argumentis effecisse mihi videor, ut quaecunque ap. Stob. p. 142, 15—143, 23 leguntur, uni philosopho tribuas. Hunc autem fuisse Antiochum persuasum habeo.

Ad eius verba, quae p. 118, 11 sq. exhibentur, remittimur p. 143, 11; et quae de tribus amicitiae scopis, honesto, utili, iucundo dicuntur, eius rationem redolent [cf. p. 130, 15]. Tum quod Albinus amicitiam existere ait, ὅταν ἐπίσης ἑκάτερος βούληται τὸν πλησίον καὶ ἑαυτὸν εὖ πράττειν[1]), comparari licet Varroniana ap. Aug. d. c. d. XIX 3 p. 310, 10 sqq.: „Hanc vitam beatam etiam socialem perhibent esse, quae amicorum bona propter se ipsa diligat sicut sua, eisque propter ipsos hoc velit, quod sibi"[2]).

Accedit argumentum gravissimum: Arius, ubi de affectibus agit, non solum reliquas animi affectiones, sed etiam λύπην et ἡδονὴν ὁρμάς esse asseverat p. 142, 15 „Τῶν δὲ παθῶν καὶ ὁρμῶν . . .". Haec peculiaris fuit Stoicorum doctrina, qua de Bonhoefferus [Ep. u. d. Stoa, p. 263] accuratius disputavit[3]). Quam rationem Ascalonitam sapere cuiusvis est intellegere.

Ultimus locus est de vitarum generibus, quae p. 143, 24—145, 10 describuntur. In his explicandis incipio ab Antiochi doctrina, quae apud Augustinum servata est; habemus autem in XIX. de civit. dei 1 p. 304, 34 sqq. Domb. haec: „Deinde, quia earum singulas quasque ita tueri homines possunt atque sectari, ut aut otiosam diligant vitam, sicut hi, qui tantum modo studiis doctrinae vacare voluerunt atque valuerunt, aut negotiosam, sicut hi, qui cum philosopharentur, tamen admini-

---

1) Hoc omittit Stobaeus, qui omnino (nisi Ario hoc tribuere mavis) Antiochia haec male excerpsit. Neque enim Antiocho, quinam scopus esse deberet amicitiae, omittere licuit (143, 11); cf. Aspas. in eth. Nic. p. 170, 14 sqq.: πλὴν οἱ μὲν ἀγαθοὶ οὔτε τὸ χρήσιμον οὔτε τὸ ἡδὺ σκοπὸν ἔχουσι τῆς φιλίας, ἀλλὰ ταῦτα παρηκολούθηκεν αὐτοῖς, φιλοῦσιν δὲ ἀλλήλους δι' αὑτούς. Cf. Alex. Aphr. in top. p. 271, 25 sqq.; Stob. ecl. II p. 119, 22 sqq.

2) Ceterum etiam Stoici amicitiam similiter dividebant: cf. Stob. p. 74, 5 sqq.

3) Quacum re fortasse cohaeret, quod p. 117, 12, ubi Antiocho duce Arius utitur, irrationalis animi pars τὸ ὁρμητικόν — quae vox Aristotelica non est — alibi, velut p. 117, 9, τὸ παθητικόν nuncupatur.

stratione rei publicae regendisque rebus humanis occupatissimi fuerunt, aut ex utroque genere temperatum, sicut hi, qui partim erudito otio, partim necessario negotio alternantia vitae suae tempora tribuerunt". Deinceps p. 310, 22 sqq. XIX 3 haec:

„Ex tribus porro illis vitae generibus otioso, actuoso, et quod ex utroque compositum est, hoc tertium sibi placere asseverat".

Huius sententiae ab Aristotele quidem alienae [Wachsm. ad 144, 16—19; Hirzel II p. 292 sq.] certissima vestigia in Didymeis deprehendisse mihi videor. Habemus p. 144, 16 sq. tria illa genera πρακτικόν, θεωρητικόν, σύνθετον ἐξ ἀμφοῖν; et vita voluptaria congruenter cum Antiocho infra hominem esse dicitur [de fin. V 8, 21 extr.; 20, 57]. At praefertur otiosa vivendi ratio; quamquam deinceps p. 144, 19 sq. bonum hominem rei publicae administrationi vacaturum esse προηγουμένως, μὴ κατὰ περίστασιν stoicis terminis [cf. Praechter „Hierocles der Stoiker" p. 69] explicatur. Hanc discrepantiam possis ita explicare, ut Antiochum illam quidem sententiam veteribus ascripsisse, sed a sua ipsius distinxisse, epitomatorem vero, ut qui universam Peripateticorum doctrinam adumbrare vellet, illam differentiam oppressisse putes. Tamen res aliter se habere videtur. Etenim etiam in quinto de fin. 19, 53 nullo repugnante umbratilis vita summa laude extollitur veteresque philosophi dicuntur in beatorum insulis finxisse, qualis futura esset vita sapientium, qui totos sese rerum cognitioni dederent. Cf. Arist. Protrept. (fr. 58. Rose Lips. 1886, p. 68). Astipulemur igitur necesse est Hirzelio, qui haec p. 692. perhibet: „Daß die hier den alten Peripatetikern beigelegte Ansicht nicht mit der des Antiochus übereinstimmt, ist richtig. Trotzdem muß derselbe Mittel und Wege gewußt haben, diese Ansicht für die altperipatetische zu erklären und doch unbeschadet der Folgerichtigkeit seines philosophischen Standpunktes sich selbst zu einer abweichenden zu bekennen". Suam ipsius opinionem quibus artificiis cum veterum sententia

consociaverit, deinceps demonstraturum me esse speraverim. Tum p. 144, 21—145, 2 tres distinguuntur vitae, honesta, media, mala. Quarum prima quod circumscribitur verbis p. 144, 21 sq. „βίον δὲ κράτιστον μὲν τὸν κατ᾽ ἀρετὴν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν“ [1]), comparanda est definitio Antiochi de fin. II 11, 34 „ergo nata est sententia veterum Acad. et Peripat., ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere, id est, virtute adhibita frui primis a natura datis“. Ac ne mediam quidem vivendi rationem [p. 144, 22 sqq.] proficientium sc., quae ad media officia (τὰ καθήκοντα) spectat [cf. quae exp. p. 52 sq.], Ascalonitae fuisse ignotam discimus e de fin. IV 6, 14 sq. „alterum significari idem, ut si diceretur, officia media omnia aut pleraque servantem vivere. 15. Hoc sic expositum dissimile est superiori. Illud enim rectum est — quod κατόρθωμα dicebas — contingitque sapienti soli, hoc autem inchoati cuiusdam officii est, non perfecti, quod cadere in nonnullos insipientes potest“. Cf. quae exp. p. 49. et infra in cap. IV. Quin etiam ipsa verba p. 144, 23 τὰ πλεῖστα καὶ κυριώτατα τῶν κατὰ φύσιν ἔχοντα illius dicendi morem redolent. Cf. Stob. ecl. II p. 126, 18 et p. 131, 6.

Age iam oculos convertamus in ea, quae praecedunt. Hic plane convenienter cum Ascalonitae doctrina sapientem honesta et contemplaturum et acturum esse Arius ait, compositum sane vitae genus significans [144, 4 sqq. προαιρήσεσθαι μὲν γὰρ καὶ πράττειν καὶ θεωρεῖν τὰ καλά]. Sed quae secuntur, ea interpretibus nescio quo pacto maximas praebuerunt difficultates: „Κωλυόμενον δὲ περὶ ἄμφω γίνεσθαι διὰ καίρούς, θατέρῳ χρήσεσθαι, προτιμῶντα μὲν τὸν θεωρητικὸν βίον, διὰ δὲ τὸ κοινωνικὸν ἐπὶ τὰς πολιτικὰς ὁρμῶντα πράξεις“. Ad haec Meurerus [progr. Weimar. 1859] mirum in modum haec adnotat: „Si utrumque amplecti prohibitus est, cur alteram vitam praeferet, alteram non negliget?“ Quam difficultatem auget Wachs-

1) Τὰ κατὰ φύσιν Antiochio more a me supra p. 11. illustrato minus recte pro τοῖς πρώτοις κατὰ φύσιν dicuntur. Cf. de fin. II 11, 34.

muthius, qui ante verba ἐπὶ τὰς κοινὰς πράξεις voculam καί inserendam esse opinatur ad mixtum vivendi genus, quod hic intellegere nequaquam licet, sic perveniens. Sed e totius orationis contextu id satis apparet vocem θατέρῳ p. 144, 6 ad πράξεις esse referendam. Quomodo igitur locus accipiendus est? Lux quaedam affulgebit e loco Aspasii, qui in eth. Nic. p. 1, 1 haec habet: „Ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία καὶ μάλιστα ἡ πολιτικὴ κατὰ μὲν τὸ ἀναγκαῖον προτέρα ἐστὶ τῆς θεωρητικῆς φιλοσοφίας, κατὰ δὲ τὸ τίμιον ὑστέρα". Adde quae ibid. p. 2, 6 leguntur: „Ἡμῖν δὲ καὶ πρώτως ταύτην (politicam artem et ethicen) ἐπιτηδεύειν προσήκει καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ, ὥσπερ καὶ Σωκράτης ἠξίου, οὐκ ἀτιμάζων τὴν περὶ τὰ θεῖα γνῶσιν καὶ τῶν φύσει συντεινόντων παριεὶς τὴν ἐπιστήμην ὡς περιττήν, ἀλλ᾿ ἀναγκαίαν ἡγούμενος τὴν τοῦ ἤθους ἐπιμέλειαν". Propius ad Stobaei verba accedunt, quae Tullius de re publ. III 3, 6 enarrat: „Quare qui utrumque voluit et potuit, id est, ut cum maiorum institutis tum doctrina se instrueret, ad laudem hunc omnia consecutum puto. Sin alterast utra via prudentiae deligenda, tamen, etiam si cui videbitur illa in optimis studiis et artibus quieta vitae ratio beatior, haec civilis laudabilior est certe et inlustrior".

Iam quid voluerit Arius mihi videtur manifestum esse; ait nimirum eum sapientem, qui et rerum contemplationi et rebus gerendis vacare nequeat propter malam temporum condicionem (διὰ καιρούς), etiam si pluris aestimet otiosam vivendi rationem (κατὰ τὸ τίμιον προτέραν), attamen, quoniam non vivamus in beatorum insulis, sed huiusce vitae molestiis premamur, necessitate coactum (κατὰ τὸ ἀναγκαῖον) uni „necessario", ut ait Varro [ap. Aug. XIX 1 l. c.], negotio se mancipaturum esse. Hoc deinceps p. 144, 8 sqq. exemplis copiosius illustratur.

Idem igitur fere docuit Antiochus de vivendi rationibus quod Posidonius, de quo haec Schmekelius p. 274: „Es ist möglich, daß theoretische und praktische Tugenden gegenübertreten können, und in diesem Falle steht die Tugend, welche sich auf das Gemeinwesen bezieht, höher

als die des Wissens" [cf. Cic. de offic. I 43, 152 sqq.[1]); Hirzel, Unt. II 519]. Ecce ratio, qua Antiochus Aristotelis sententiam cum sua ipsius consociavit[2]). Quae ap. Didymum secuntur de negotiosa vita, ea Stoicorum plane disciplinae conveniunt [cf. Diog. Laert. V 31; Stob. ecl. II 109, 15 sqq.] nec, quod voluntaria mors sapienti permittitur [144, 12 sqq.], repugnat Ascalonitae doctrinae [p. 126, 2 sqq.][3]).

Ut rationem subducam: quaecunque inde a p. 143, 24—145, 2 explanantur, Antiochia esse contendo. In eandem sententiam gaudeo, quod Doegius est adductus; sed quod proximam quoque sectionem, qua rursus tres vitae, beata, media, mala describuntur, Ascalonitae tribuit, multum, opinor, a vero aberravit [p. 145, 3—10]. Putavit autem verbis διαφέρειν δέ τὸν εὐδαίμονα βίον τοῦ καλοῦ ad beatissimam et beatam vitam alludi; sed ab eo, qui haec conscripsit, beatitudinem contra Antiochi sententiam ab ea vita, quae in sola virtute consistit, excludi et segregari in propatulo est et pressis verbis (vv. 5 sq.) ad beatam vitam virtutem sufficere negatur. De Ascalonita igitur cogitare non licet; sed doctrina apprime convenit Critolai isti discipulo, a quo, quae p. 131, 12—134, 6 leguntur, confecta esse conieci.

Reliquum est, ut de curta oeconomices ac politices expositione agam. Cuius praecepta ex Aristotelis politicis esse excerpta nec ulla re ab iis distare putavit Spengelius [„Ueber die Pol. des Aristoteles" p. 45; cf. etiam Monac. doct. nunt. vol. XXXI p. 262]. Sed leviuscula

1) Cohaeret tota haec doctrina, quam nobilium Romanorum ingeniis ac studiis aptatam esse pellucet, cum Stoicorum isto de omnium hominum societate decreto, quod Ant. amore quodam arripuit.

2) Ceterum similia iam docuit Aristoteles. Cf. Hirzel II 692: „(Richtig ist daran nur), daß Aristoteles unter den Verhältnissen, in denen der Mensch existiert, ein solches rein der Wissenschaft gewidmetes Leben nicht für möglich hielt". Cf. Plutarch. de educat. puer. 10.

3) v. Hirzel II 702 adnot.

quaedam paullo aliter esse depicta accuratius demonstravit Henkelius in ea commentatione, cui inscribitur „Zur Politik des Aristoteles“ [programm. Seehausen 1875 (Stendal.) p. 10 sqq.].

Hinc patet posterioris aetatis auctorem Ario subfuisse [Henkel p. 17 extr.], quo de accuratius inquirendum est.

Ac proficiscor e loco, ubi optima rei publicae forma esse dicitur mixta ex unius imperio et optimatium et populi; quod Dicaearchi est notum placitum, sed ab Aristotele, ut videtur, alienum [Zeller, II^{b} p. 893^{3} n. 1; Schmekel p. 377[1]; Henkel, l. c. p. 17]. Iam legas quaeso, quae ap. Maximum Tyrium in diss. XXII 4 exhibentur: „Ὅτι τῇ τοῦ ἀνθρώπου ψυχῇ ἔνειμε θεὸς δυνάμεις τρεῖς καὶ χώρας καὶ φύσεις, ὥσπερ τινὰ ἀθροίζων ξυνοίκησιν πόλεως· ἧς τὸ μὲν ἄρχον καὶ προβουλευόμενον εἰς ἀκρόπολιν ἀναγαγών, ἱδρύσας αὐτοῦ, πλέον οὐδὲν αὐτῷ προσέταξε λογισμοῦ· τὸ δ᾽ ἀκμάζον καὶ πράττειν δεινόν, καὶ τελεσιουργεῖν ἱκανὸν τὰ βουλευθέντα, συνῆψέ τε καὶ ξυνεκέρασε δι᾽ ὑπηρεσίας προσταγμάτων τῷ βουλευτικῷ· τρίτον δ᾽ αὖ τὸ ἀργὸν τοῦτο πλῆθος καὶ ἀκόλαστον καὶ βάναυσον καὶ μεστὸν μὲν ἐπιθυμιῶν, μεστὸν δὲ ἡδονῶν παντοδαπῶν τρίτην ἔχειν μοῖραν sqq.“

Ad harum partium similitudinem Maximus Platonis quodammodo intentionem secutus [Νόμοι III p. 689^{B}] refert enarrationem de βασιλείᾳ, ἀριστοκρατίᾳ, δημοκρατίᾳ; quam rem mente velim teneas.

Hanc autem analogiam de Scala in eo libro, cui inscribitur „Die Studien des Polybios“, p. 226. hisce verbis explicat: „Es ist also Zusammengehöriges auseinandergerissen worden: der Vergleich paßt nur gut, wenn die drei Stände in einem Staate beisammen sind“. Ea igitur intellegenda est rei publicae forma, qua tria illa genera comprehendantur. In his explicandis Maximus, cum non solum singulis verbis [cf. οἰκονομία et ξυνεκέρασε], sed tota ratione ad Polybium et quos hic sequitur Stoicos recentiores [Hirzel, Unt. II exc. VII.] proxime accedat [de Scala l. c. et 227^{3} coll. Pap. Ercul. col. LXII], e

Stoicissantis cuiusdam Platonici doctrina eaque illis temporibus vulgata [cf. Hobein: „De Maximo Tyrio quaestiones philol. selectae“ diss. Gotting. 1895 p. 53] pendere existimandus est. *Hanc Antiochi esse Ascalonitae veri est simillimum.* Cum eadem enim animi divisione Maximus § 5. componit vitarum tres species θεωρητικήν, πρακτικήν, ἀπολαυστικήν, quae Antiochi more ita describuntur, ut, si usum spectemus, actio sit praeferenda, si causam rei bene gerendae, contemplatio; quare melius alteram alteri conciliari. De tertia specie quid statuendum sit, docemur ab auctore de educatione puerorum [Plutarch. Duebner vol. I p. 9], qui § 10. congruenter cum Antiocho, qui vivendi rationem sequatur voluptate occupatam, eum voluptatum servum esse asseverat beluarumque similem, eandem ille quidem doctrinam secutus quam Maximus [Hobein p. 53]; ad quem non propius accedens quam ad Ascalonitam his verbis utitur: πειρατέον οὖν εἰς δύναμιν καὶ τὰ κοινὰ πράττειν καὶ τῆς φιλοσοφίας ἀντιλαμβάνεσθαι κατὰ τὸ παρεῖκον τῶν καιρῶν [= Stob. p. 144, 4 sqq.].

Hac ratiocinatione hoc comprobasse mihi videor mixtam rei publicae formam Antiocho maxime placuisse; quae res eo stabilitur, quod idem statuit Panaetius [cf. Schmekel p. 374 sqq.; p. 377; Diog. Laert. VII 131; Pap. Ercul. col. LXII]. Ac ne hoc quidem omittendum est tertiam speciem et ab Ario et a Maximo δημοκρατίαν appellari et opponi ὀχλοκρατίᾳ. Hoc autem vocabulum ante Polybium non legitur nec non dicit Aristoteles δημοκρατίαν, sed πολιτείαν [Henkel p. 16]. Neque omnis deest ap. Stob. civitatis et animi comparatio, sed conferuntur civiles dissensiones, quae ab Aristotele paullo aliter describuntur [Henkel p. 16], cum animi seditionibus, quales p. 128, 17 sqq. *Antiocho duce* Arius depingit:

p. 151, 9 sqq.

Στάσεις δ᾽ ἐν ταῖς πόλεσι γίγνεσθαι τὰς μὲν κατὰ *λόγον*, τὰς δὲ κατὰ *πάθος*.

p. 128, 17 sqq.

Δύο δὲ ὥσπερ ἀρχὰς τῶν ἀρετῶν ὑπάρχειν, τὸν *λόγον* καὶ τὸ *πάθος*. ταῦτα δὲ ὁτὲ μὲν ἀλλήλοις ὁμονοητικῶς συμφω-

νεῖν, ὁτὲ δὲ στασιαστικῶς
διαφωνεῖν· τὴν δ' ἀντίταξιν αὐ-
τῶν γίνεθαι δι' ἡδονὰς καὶ λύ-
πας.

Similia leguntur ap. Maximum XXII 4:

„Ταύτῃ δὲ νενεμημένης τῆς ψυχῆς, τῇ οἰκονομίᾳ τῆς τοῦ ἀνθρώπου συντάξεως στάσις ἐγγίγνεσθαι φιλεῖ, αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ ἐν πόλεσι πάθος“.

Porro ut Maximus similitudinem quandam conspexit inter μικρόκοσμον i. e. animam et μεσόκοσμον, ut hoc fingam, i. e. civitatem, sic Arii auctor Stoicorum vestigia premens μεσόκοσμον ad μακροκόσμου h. e. mundi exemplum explicare videtur. Qua de re audiamus de Scala, qui haec exponit (p. 227): „Bei dem innigen Zusammenhang, der für die Stoa zwischen Mikrokosmos und Makrokosmos besteht, erscheint es zudem nur folgerichtig, wenn auch der Mesokosmos, der Staat, in eine gewisse Beziehung zu der Welt einerseits und zu dem Einzelwesen andererseits gesetzt wird sqq.“ [cf. Eusebius praeparat. evang. XV 15, 4]. Arii vero verba dico haec:

p. 150, 6 sq.: „τοῦ δὲ πλήθους ὅρον εἶναι τοιοῦτον, ὥστε μήτε τὴν πόλιν ἀσυμπαθῆ μήτ' εὐκαταφρόνητον ὑπάρχειν“.

Vocem ἀσυμπαθῆ ab Aristotele alienam, non tamen corruptam esse, sed posterioris aetatis scriptori attribuendam recte censuit Henkelius [p. 12 adn. 1. et p. 16. coll. Dio Chrysost. or. XLVIII Dindorf II p. 140, ubi ἡ πόλις συμπαθής dicitur et ὁμογνώμων et φίλη αὑτῇ; Phyntis ap. Stob. Flor. 74, 61 (συμπαθής et ὁμοιόνομος)]; quam ego e Stoicorum intima sententia ita explicandam esse putaverim, ut civium συμπάθεια comparetur cum συμπαθείᾳ illa, quam ad omnes mundi partes pertinere Stoici docebant [Schmekel p. 244]. Id nimirum exprimi vult Arius cavendum esse, ne tanta fiat civium in urbe multitudo, ut συμπάθεια eorum evanescat. Haec manifesto eiusdem rationem redolent, cuius quae apud Maximum de anima et civitate enarrantur, h. e. Antiochi Ascalonitae. Ad hunc eo quoque deducimur, quod verba μεταβάλλειν δὲ

τὰς πολιτείας πολλάκις πρὸς τὸ ἄμεινον καὶ τὸ χεῖρον ab Aristotele aliena et Polybii doctrinae h. e. recentiorum Stoicorum convenientia sunt [Henkel p. 16; cf. Hirzel, II excurs. VII].

Similiter res se habet de oeconomices expositione. Stoica enim est ea doctrina, secundum quam domus est quasi principium urbis eiusque seminarium [Henkel p. 17; Praechter „Hierocl. d. Stoik." p. 68]. Qua de re iisdem fere verbis atque Arius p. 148, 5 sqq. [inprimis vv. 7 et 13] disputat Panaetius ap. Cic. de offic. I 17, 54:

Stob. p. 148, 7:	Cic. de off. I 17, 54.
Ἀρχὴ δὲ πόλεώς ἐστι (sc. οἶκος). Ibid. p. 148, 13: διὸ καὶ τὰ σπέρματα καθάπερ τῆς γενέσεώς τῇ πόλει παρέσχεν ὁ οἶκος, οὕτω καὶ τῆς πολιτείας.	Nam cum sit hoc natura commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae.

Haec autem doctrina apud Ciceronem l. c. ita profertur, ut artissime sit copulata et coniuncta cum dogmate isto de immensa societate humani generis [off. 17, 53 extr.], quod Antiochus avide arripuit [de fin. V 23, 67 sqq.; August. d. civ. dei XIX 3 p. 310, 10 sqq.; Stob. ecl. II 119, 22 sqq.].

Undique igitur ad recentiores Stoicos et qui eos sequebatur Ascalonitam pervenimus. Cuius rationi aptissima sunt, quae in universum de politicae et oeconomicae explanationis natura praedicat Henkelius [p. 17], cuius ipsa verba allegare liceat:

„In Summa: der Auszug schließt sich im Wesentlichen zwar, aber doch nicht so genau an Aristoteles an, wie man wohl angenommen. Die Abweichungen desselben

aber laufen auf Entstellung Aristotelischer Sätze oder (wohl unbewußter) Unterschiebung späterer Vorstellungen hinaus und geben schlechterdings nichts an die Hand, was eine ursprünglich andere Gestalt der Politik als die überlieferte voraussetzen ließe".

Iam ad finem huiusce disputationis perveni, qua id demonstrasse mihi videor in eclogis Peripateticis conscribendis Antiochi potissimum scrinia esse depilata a Didymo Ario, sed in posteriore parte Antiochiis diversae originis pannos esse assutos [p. 130, 18 sq.; 131, 12—134, 6; 134, 20—136, 8; 137, 4—7; 145, 3—10].

Caput III.

De Stoicorum moralis philosophiae compendio.

Stoicorum doctrinam, quae apud Iohannem Stobaeum secundum Didymum Arium enarratur, non unam esse ac simplicem, sed e variis variorum philosophorum sententiis esse conglutinatam primus clare aperuit Rudolfus Hirzel [Unt. II 535 sqq. et alibi]. Huius rationem etiamsi praemature susceptam esse intellexerunt, in universum tamen receperunt atque accuratius persecuti sunt Schuchhardtus [„Andronici Rhodii qui fertur libelli περὶ παθῶν pars altera de virtutibus et vitiis“ Darmstadiae 1883] et Kreuttnerus [„Andronici qui fertur libelli περὶ παθῶν pars prior de affectibus“ Heidelbergae 1884] ea potissimum adtingentes, quae pertinent ad virtutes et affectus. Nec potest Arii placita paullo accuratius inspicientem fugere multorum scriptorum fetus ab eo in medium proferri. Tamen, si quis de Didymi fontibus anquirere velit, non id agendum esse censeo, ut diversas, quae apud eum cognoscantur, sententias secernat, unde, quot quosve auctores ille adhibuerit, apertum fiat; verum prorsus alia ratione utendum esse mihimet persuasi. Vidit enim iam Aurelius Covotti, cum „quibus libris vitarum in libro septimo scribendo Laertius usus esset“, cognosceret [Studi italiani di filol. class. vol. 5. 1897], inter Didymeam Stoicae disciplinae adumbrationem et Diogenis librum septimum intimam quandam intercedere necessitatem; cuius rationem p. 72 sqq. aliquot exemplis illustravit. Atque rem ita explicandam esse censuit, ut eundem librum utrique subfuisse et plus minusve excerptum esse autumaret [p. 75 et 81].

Sed rectius iudicavit ab Arnim in ea dissertatione, quam Stoicorum fragmentis praemisit [ab Arnim: Stoic. fragm. vol. I; p. XL sqq.]; cuius sententiam, cum quam maxime mihi arrideat, breviter liceat retractare.

Habere nos ait ethices Stoicorum compendium simillimum ei, quod a Stobaeo asservatum est, in VII. Diogenis libro inde a capite 85; tertium huius enchiridii exemplum apparere apud Sextum Empiricum. Eam autem inter haec tria ethicorum commentaria rationem intercedere, ut cum mira in rebus ipsis affinitate varietas quaedam in minutiis, in placitorum electione, et maxime in verbis coniuncta sit [cf. exempla p. XL; Schuchhardt l. c. p. 64 sqq.]. Sed disponendi morem, etsi primo quidem obtutu maxima inter Stobaeum et Laertium dissensio appareat, tamen, si quis accuratius rem inspexerit, in eo tantum diversum videri, quod hic (Laert.) aptiore ordine constituto exordium faciat a primo animantium appetitu et bonorum extremo, ille a virtutibus ac vitiis orationis initium petat[1]). At hanc similitudinem non nisi ad priorem utriusque partem pertinere; quae deinceps exponantur, in eo modo congruere, quod apud utrumque de sapiente et insipiente quaeratur. Prioris autem partis consensum non alia ratione explicari posse, nisi ut sumamus extitisse aliquando compendium moralis Stoicorum philosophiae, quod cum scholarum usui destinatum fuisset, iterum iterumque pro aetatis cuiusque usu reformaretur.

Haec fere ille; quod addit compendiariae huius traditionis originem a Chrysippi ὑπογραφῇ τοῦ λόγου esse petendam, licet scite sit excogitatum nec pugnet cum universa epitomae ratione, qua Chrysippea multa contineri videntur, tamen, quoniam ad hanc quaestionem nihil valet, omitto et satis habeo hoc statuere eiusdem libelli quasi duas formas usurpatas esse ab Ario et a Diogene.

Atque sententiarum congeriem, quae

1) Quo de infra explicabo p. 80.

apud Iohannem conspicitur, non ab Ario demum effectam, sed in exemplari, quod in suum usum convertit, esse inventam, altera ratiocinatione demonstratur [1]). Neque enim aut Covottium aut Arnimium [p. XXVIII sqq.] praeteriit in III. de finibus libro, quem Tullius scripsit, cuius doctrinam ne Hirzelius quidem ad certum auctorem referre potuit — nam quae de Hecatone confabulatus est, nemini probantur [Unt. II p. 567 sqq.] — similem efferri sententiarum materiem atque apud Diogenem et Arium. Unde eodem e fonte Tullium quoque sua delibasse coniecerunt. Nec vero accuratius rem persecuti sunt. Quae cum ita essent, meum esse duxi diligentius de III. de fin. libri fontibus inquirere. Atque ita progrediar, ut primum ex universa Tulliani libri indole compendiariam rationem apparere demonstrem. Hanc eam esse patet, ut non certi cuiusdam philosophi, sed tamquam totius sectae depingantur decreta. Eiusmodi vero libellum semet quasi ducem sequi ipse testatur Cato Ciceronianus, cum Stoicae disciplinae acerrimus existens propugnator totam se Zenonis Stoicorumque sententiam explicaturum esse promittat (de fin. III 4, 14). His vero simillima legis apud Arium p. 99, 3 Wachsm.: Ἀρέσκει γὰρ τῷ τε Ζήνωνι καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ Στωϊκοῖς sqq. Alibi earum, quas profert, sententiarum auctores Stoicos nominat paene omnes, in hac quoque re eadem ratione usus qua Didymus; veluti de fin. III 64, 70 „censent“; § 62 „arbitrantur“ [Stob. p. 62, 16 „λέγουσιν“; 65, 12, „φασί“]; § 69 „voluerunt“ [Stob. 65, 1 „βούλονται“]; § 16 „placet his, quorum ratio mihi probatur“ [Stob. 105, 24 „ἀρέσκει“]; § 70 „Minime vero probatur huic disciplinae, de qua loquor“ [Stob. p. 76, 16 „τὸ δὲ τέλος λέγεσθαι τριχῶς ὑπὸ τῶν ἐκ τῆς αἱρέσεως ταύτης“; 79, 14 „κατὰ τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως ταύτης“]. Velim porro attendas, quomodo singulas divisiones aliam ad aliam Tullius adnectat, veluti de fin. III 6, 20 „sequitur autem

---

1) Mitto hic posteriorem partem, qua de infra exp.

haec prima divisio“; 15, 50 „deinceps explicatur differentia rerum“; 16, 55 „sequitur illa divisio“. Non minus aride passim Arius, velut p. 68, 14 „ἔτι δὲ τῶν ἀγαθῶν sqq.“; 72, 19 „καὶ πᾶν μὲν ἀγαθὸν αἱρετὸν εἶναι . .“; 85, 13 „Ἀκόλουθος δ᾽ ἐστὶ τῷ λόγῳ περὶ τῶν προηγμένων ὁ περὶ τοῦ καθήκοντος τόπος.“

Tum ab utroque, quam consectaria sibi sint Stoicorum placita, praedicatur: cf. de fin. III 6, 26 „videamus nunc, quam sint praeclare illa his, quae iam posui, consequentia“; Stob. p. 65, 5 sqq. „κατὰ ταῦτα γάρ φασι καὶ τὴν φρόνησιν φρονεῖν, ἀκολουθεῖ γὰρ αὐτοῖς τὸ οὕτως λέγειν“; ibd. 65, 15 „ἀκολούθως γὰρ τούτοις δογματίζουσιν.“; p. 67, 1 „ἀκόλουθον ᾠήθησαν“; 67, 9 „ἀκολούθως“.

Omnino in divisionibus enarrandis ieiunius dicendi genus, sed quod compendiorum naturae maxime conveniat, a Tullio adhiberi nemo non videt; et ipse Cicero, quod minus ornate et aride res describat, veniam petit de fin. III 7, 26: „potest id quidem fuse et copiose et omnibus electissimis gravissimisque sententiis rhetorice et augeri et ornari, sed consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant“, et III 5, 19 „Haec dicuntur ieiunius, sunt enim quasi prima elementa naturae, quibus ubertas orationis vix adhiberi potest; nec eam cogito consectari . . .“

Hinc aparet quam anxie eiusmodi compendii, quale Arianum est, vestigia Tullius premat.

Sed gravius argumentum inde petere licet, quod in placitis disponendis mira est Ciceronis cum Laertio consensio [Covotti p. 81; Madvig de fin.[3] exc. V p. 826]. Nam a prima animantis appetitione (III 5, 16 = D. Laert. VII 85) ad finem pervenitur et ad virtutis naturam (III 7, 26 = D. L. VII 87); deinde ad rerum differentiam (III 10, 33 = D. L. VII 94—107); tum ad officium (III 17, 58 = D. L. VII 107—110); postremo ad sapientem (III 18, 59 = VII 117).

Ecce aliud, quod iam a Madvigo[1]) observatum est,

1) Excurs. V (extrem.) et ad singulos III. l. locos hoc exposuit

aliquot locis eum, quem Tullius suum fecit, sententiarum ordinem mirum profecto in modum interrumpi. Quod fieri infitiatus Rudolfus Hirzel [Unt. II p. 567 sqq.] aliam ad aliam sententiam ubique bene aptari nec usquam orationis filum incidi demonstrabat. At eam, quam ille sibi visus est eruisse rerum ubivis cohaerentiam, cur usque eo Tullius obscuravit, ut ante Hirzelium ne Madvigus quidem eam divinaret? Optime opinor, quaestio dissolvetur, si compendium tale, quale est Didymeum, auctori praesto fuisse sumpseris.

Ad hoc stabiliendum agedum ipsas sententias examinemus. Cato Tullianus, postquam explicavit de boni accessione, III 10, 35 profert sententiam de animi affectionibus, quam neque cum iis, quae praemissa sunt, nec cum iis, quae deinceps enarrat de honesti notione, apte cohaerere Madvigo concedendum est. Nec minus abrupte III 15, 45 ad superiorem de virtutibus et beata vita gradus non habentibus disputationem annectit Diogenis de divitiis aestimandis iudicium. Porro III 16, 55 in mediam de indifferentibus tractationem inserta est bonorum divisio in τελικά et ποιητικά; quae cum praemissa partitione eo tantum quodammodo cohaeret, quod ut hic bonorum id genus, quod ad finem pertinet, perstringitur, ita illic mediorum ad finem vis explicatur. Sed cur bonorum divisionem non eo loco absolvit, quo de bonis agit? Res compendii ratione explicatur. Ab Ario enim, quae p. 77, 6—15 inducitur bonorum partitio, ea cum praemissis et sequentibus sententiis si quaquam ratione ea cohaeret, quod bonorum altera pars necessaria esse dicitur ad beatam vitam, de qua illic agitur. Expectes autem, ubi de bonis quaestio instituitur, talia locum habere. Eiusmodi emblemata scholarum usum sapiunt, cui compendia destinata erant. Nullo vero modo, ut duo adiciam, in orationis nexum quadrare videntur, quae p. 62, 5—12 in media sapientis laudatione de ἐπιτηδεύμασι dicuntur, et quae p. 78, 7—17 ad finis et beatitudinis definitiones adiuncta est distinctionum series.

Iam redeo ad Tullium; qui de fin. III 10, 33 constituto iam summo bono et demonstrato nihil esse bonum nisi quod honestum sit, mire hic demum ipsam boni notionem adtingit. Age vero evolve Arii placita: invenies p. 69, 11 sqq. boni definitiones praemissa bonorum divisione; haud aliter p. 76, 16 sqq., quot rationibus extremum bonum intellegendum sit, post singulorum Stoicorum finis circumscriptiones explicatur.

Denique idoneum videtur, quo coniecturae meae fides augeatur, quod Arnimius vidit [p. XXVIII] III 20, 68, ubi cynismi mentio fit, scholae dissensum notari, ipsius vero auctoris iudicium non addi. Hanc esse compendiorum rationem referendi magis quam disputandi cum per se patet tum elucet ex Arii tribus locis, qui leguntur p. 95, 18; 107, 14; 109, 20 sqq.

Iam vero, quoniam quantopere ad enchiridii naturam atque indolem pleraque eorum, quae in III. de fin. libro leguntur, accederent, enucleavi, quanta *sententiarum affinitas* inter divisiones Tullianas, Didymeas, Laertianas cernatur, paucis illustrandum est. Qua in re ne multus sim, Covottii copiis usus [p. 83—86] ipsos locos notare satis habeo:

Diogenes L.	Cicero d. fin.	Arius Didymus
VII 85	III 5, 16	
	III 7, 24 extr.	II 93, 14 sqq.
	III 7, 26	II 99, 19 sqq.
VII 99	III 8, 27	II 72, 19 sqq.
VII 113	III 10, 35	II 88, 14 sqq.
	III 15, 51—16, 52	II 84, 18—85, 11
VII 96	III 16, 55	II 71, 15 sqq.
VII 107	III 17, 56	
VII 107	III 17, 58	II 85, 12 sqq.
VII 130	III 18, 60	II 110, 9 sqq.
VII 129	III 20, 67	
VII 121	III 20, 68	II 94, 8 sqq. et 111, 5 sqq.
VII 121	III 20, 68 extr.	II 114, 24 sqq.

Exhibeo tamen pauca. Initium capit Cato congruenter cum Diogene VII 85 a primis naturae, quorum descriptioni ab utroque miro quidem consensu annectitur brevis disputatio, qua fuisse, qui perperam voluptatem in naturalium chorum reciperent, ostenditur. Porro exempla, quibus III 5, 17 principia naturae illustrantur, eo usque consentiunt cum Didymeis (p. 82, 11—19), ut αἴσθησις ab utroque parenthesi uso κατάληψις intellegatur.

Iam vide, quomodo summum bonum definiat Cato Ciceronianus: extremum esse bonorum ait III 9, 31 „vivere scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem, quae secundum naturam, et quae contra naturam sint, reicientem, i. e. convenienter congruenterque naturae vivere.“ Harum definitionem haec Cleanthi ascribitur a Stobaeo p. 76, 5 sq.: „τέλος ἐστὶ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν“ [cf. Diog. L. VII 87], alteram vero consutam esse e Chrysippi et Antipatri formula eadem Arii expositione docemur p. 76, 6 sqq. „ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων“ et v. 11 sq. „ζῆν ἐκλεγομένους μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπεκλεγομένους δὲ τὰ παρὰ φύσιν διηνεκῶς“. Hinc luce clarius apparet ante oculos Tullio fuisse complurium definitionum congeriem, qualis apud Arium legitur, earumque tres tantum electas esse et contaminatas. Eadem ratio cernitur III 10, 33, ubi, ut bonum intellegendum sit, Cicero explanat; atque e finitionum multitudine, quae a Stoicis exhibeatur, unam tantum eligere se voluisse ipse confitetur. Hanc unam Diogenis esse eo magis est attendendum, quod, cum in fine constituendo aliis se mancipaverit auctoribus, hoc loco, quam non simplicem doctrinam sequatur, manifestum fit. Idem cadere videtur in ea, quae de voluptate et vacuitate doloris enarrat. Voluptatem enim cum III 5, 16 sq. e naturalium numero excludat, 15, 51 et 19, 62 vacuitatem doloris praepositis adnumerat. Huius modi autem repugnantiae apud Didymum cum alibi tum in ipsa hac re apparent; namque p. 83, 4 ἀπονίαν praepositorum ei generi, quod per se sumatur, attribuit, p. 82, 14 vero voluptatem

et dolorem rerum indifferentium esse affirmat [cf. Hirzel II 565; Schuchhardt p. 37].

Haec sufficiant ad compendii usum in III. de fin. comprobandum. Eiusdem vero libelli vestigia in Tuscul. disp. IV 6, 11 sqq. apparere optime explicuit Covottius [p. 76 sqq.]. Cicero enim et Stobaeus et Laertius in animi perturbationibus depingendis eadem argumentandi ratione utuntur et, ubi Laertius morbis corporum morborum animi similitudinem comparat, Cicero hunc locum, cui nimium operae a Stoicis consumatur, praetermittere sese profitetur, ita ut in exemplari Graeco haec quoque invenisse putandus sit.

Denique ex eodem compendio haud scio an officii definitionem, quae de offic. I 3, 8 legitur (cui similis est Didymea, quae ap. Stob. p. 85, 12 exhibetur), hauserit [cf. C. F. W. Mueller in ed. Lips. 1882 ad de off. I 3, 8; Schmekel p. 24] [1]).

Haec hactenus. Satis comprobasse mihi videor eiusdem compendii, cuius usus et apud Didymum et apud Laertium appareret, aliam formam a Cicerone adhibitam esse.

Iam vero Hoyerus [de Ant. Ascal. p. 9 sqq.] e sententiarum catalogo, qui de fin. III 9, 30 legentium oculis proponitur, concludendum esse coniecit totam tertii de fin. doctrinam ex Antiochi scriptis esse petitam, quibus historica quadam ratione Stoicorum disciplina adumbrabatur [cf. Hoyer p. 10]. Hoc nequaquam mihi probatur. Neque enim ipsum Hoyerum effugit sententiam Stoicorum, qui in uno animo atque in una virtute beatitudinem ponebant, cum aliis opinionibus praeferri tum ipsius Ascalonitae (§ 30), quae insuper vehementissime a Catone vexatur (cf. III 3, 11; 4, 12; 12, 41 sqq.). Antiochus igitur, si totam argumentationem Ciceroni dedisset, Stoicorum placita ita rettulisset, ut contra se ipsum arma ver-

---

1) Definitionem, quae praecedit, Posidonio deberi coniecit Fowler „Panaetii et Hecat libr. frg.“ p. 3.

teret seque ipsum crudeliter iugularet. Neque omnino universa III. de fin. libri natura coniecturae eorum favet, qui a Tullio unum scriptorem usurpatum esse opinantur. Inveniuntur nimirum, quae non solum oratione rhetorice exornata, verum etiam gravissimis Peripateticorum criminationibus aridam atque ieiunam enchiridii rationem excedant [v. III 3, 10—4, 14; 12, 40—15, 48; 19, 62—20, 66]. Itaque ad compendii illius exilitatem ac siccitatem, quantum fieri posset obtegendam, a Cicerone circumfusam esse uberiorem sententiarum materiem existimaverim.

Adnotatio:

Hanc materiem unde sumpserit, haud facile est ad diiudicandum. De Panaetio, utpote qui Antiocho, cuius doctrina Stoica IV. libro reprobatur, non bene potuerit opponi (de fin. IV 28, 79), cogitare non licet. Sed possis suspicari Ciceronem, ut catalogum istum (§ 30) Antiochium ad Stoicorum disciplinam accommodasse videtur, sic in reliquis quoque, quae ad enchiridium non pertinent, Antiochi sententias Stoico fuco oblevisse. Nec desunt, quae huic coniecturae quodammodo arrideant. Etenim § 36. manifesto ad catalogum istum alluditur; deinde de honesto propter se expetendo III 11, 37—38 eadem fere ratione Tullius argumentatur, qua de fin. V 18, 48 sqq. et 22, 62, ubi Ascalonitam sequitur. Tum III 14, 45 virtutis praeter reliquas res praestantia simili laude extollitur atque de fin. V 30, 90. Ad extremum III 19, 64 in media de generis humani societate expositione idem versus citatur qui ab Antiocho ap. Stob. ecl. II p. 121, 12.

Haec tamen argumenta vereor ne lubrica sint. Nam, ut omittam in Stoicis sententiis describendis ad Stoicum auctorem Ciceronem confugisse verisimilius esse, Antiochum permultis in rebus ad verbum cum iis, quae porticus philosophi docebant, congruisse attendendum est. Gravius vero argumentum, quod quae contra Peripateticos et praecipue contra Antiochum admoventur machinationes pleraeque ex intimo Stoicorum ingenio haustae

sunt et similes iis, quae in V. Tuscul. disput. (cf. de fin. V 77—87) leguntur. Cf. Zietschmann „De Tuscul. disput. fontibus", Halis 1868 p. 36; Hoyer p. 44 sqq. In hac autem commentatione componenda Posidonii librum, quo contra Ascalonitae novam doctrinam Stoicorum decreta defensitabat, exhaustum esse probabiliter coniecit Zietschmannus p. 52[1]). Quae cum ita sint, in III. de fin. praeter Stoicae disciplinae compendium etiam Posidoniana adhibita esse crediderim.

His perpensitatis ad Didymeae epitomae rationem explicandam me verto. Ac primum de dispositione rerum dicendum est, quam a compendii ordine, qui apud Ciceronem et Diogenem apparet, eo diversam esse vidimus, quod de bonorum fine alio loco agitur. Sed hoc discrimen perfacile explicatur. Inspicias quaeso, quae Arius, postquam de extremo bono et de beatitudine tractavit, iis, quae de rebus mediis expositurus est, praemittit p. 79, 1 sqq. „Διεληλυθότες δ' ἱκανῶς περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ αἱρετῶν καὶ φευκτῶν καὶ περὶ τέλους καὶ εὐδαιμονίας, ἀναγκαῖον ἡγησάμεθα καὶ τὰ περὶ τῶν ἀδιαφόρων λεγόμενα κατὰ τὴν οἰκείαν τάξιν ἐπελθεῖν."

En propriam se disponendi morem sequi Arius ipse concedit [cf. Stob. p. 45, 9]. Hoc autem claris verbis significare non debuit, nisi librum, quo diverso ordine res procedebant, ante oculos habuit. Itaque hac quoque ratione eo deducimur, ut Ario subfuisse arbitremur Stoicae doctrinae enchiridium et eam, quae ibi legebatur, sententiarum congeriem ab eo esse transscriptam.

Sed alterum lucrari me posse spero Laertii et Tullii libris collatis. Wachsmuthius inde, quod etiam de rebus expetendis et fugiendis se exposuisse Arius profitetur (p. 79, 2), talis vero explanationis in prioribus nihil legitur nisi particula p. 75, 1—6, aut antea nonnulla inter-

1) De Antiocho et Posidonio cf. Praechter in „Bursian, Jahresberichte" 1901 I p. 180.

cidisse aut verba καὶ αἱρετῶν καὶ φευκτῶν a librario e titulo supra p. 72, 14 commemorato inscite adiecta esse autumavit. Sed talia scribentis temeritati tribuenda esse, quis est qui credat? Alterum vero eo refellitur, quod neque a Cicerone, neque a Laertio rebus appetendis et fugiendis proprius locus assignatur. Sed velim attendas verba καὶ αἱρετῶν καὶ φευκτῶν omissa vocula περί cum praemissis tam arte esse copulata, ut quasi una sententia efficiatur. Itaque verbis περὶ ἀγαθῶν — φευκτῶν comprehendi voluisse Arium putaverim, quaecunque usque a p. 72, 19 ad p. 75, 6 enarrantur.

Quoniam haec examinavi, aliosne fontes praeter illud compendium Didymus adhibuerit necne, perquirendum est. Qua in re expedienda missa nunc posteriore epitomae parte [p. 93, 14 sqq.] de priore tantum quaero.

Arnimius in Diogenis fontibus extricandis ea usus est ratione, ut, quae sententiarum nexum interrumperent, ea aliunde inserta esse existimaret [p. XXXVIII]. Etiam in Arii compendio inesse vidimus, quae aut nullo modo, aut laxo vinculo cum proximis cohaererent [vide quae exp. p. 74 sq.].

Sed quando quidem iam ea enchiridii forma, qua Cicero utebatur, eiusmodi emblematis scatebat, magna adhibenda est cautio, ne, quae prioribus tribuenda sunt, Ario tribuamus. Itaque de hac re nihil pro certo affirmaverim.

Aliter vero res se habere videtur de altera parte, qua miscellanea prorsus exhibetur materia, sed ita, ut recurrat semper principalis de sapiente et insipiente doctrina; „quamquam ordo fere nullus est, et idem aliquotiens bis terve diversis locis tractatur“ [Wachsm. ad p. 93, 14]. Hic ad ipsos philosophorum libros accessisse Arium Arnimius coniectavit p. XLIII. duabus de causis: primum nullum apparere rerum e gravitate delectum, sed omissis saepe gravioribus placitis leviora multis verbis

laudari. Dein sermonem aliquot capitum a compendii exilitate longe recedere.

Sed tamen, cum compendio extremo de sapiente expositum fuisse Ciceronis et Laertii consensu demonstretur, quidni hic quoque ad enchiridium illud Didymum confugisse sumere liceat? Saepissime profecto Laertius et Arius, ut Wachsmuthii commentario docemur, in paradoxis enarrandis consentiunt, sed ita, ut uberior sit huius commentatio. Accedit, quod certissima compendii vestigia in eo conspicere licet, quod tribus locis (95, 18; 107, 14; 109, 20) scholae dissensio notatur, nullum tamen iudicium additur; quod eius compendii rationi convenit, quo etiam Cicero utebatur (cf. de fin. III 20, 68 extr.), non tamen Arii mori est aptum, qui, ubicunque in Prolegomenis vel in eclogis Peripateticis ipse auctores exscribit, talia non habet. Porro p. 99, 3 e compendii natura Zeno καὶ οἱ ἀπ᾽ αὐτοῦ Στωϊκοὶ auctores nominantur. Quae cum ita sint, e paradoxorum congerie, quae compendio continebatur, plurima aut omnia ab Ario, pauciora a Diogene et Cicerone transcripta esse conicio.

Hoc tamen Arnimio concedendum est non deesse, quae utpote ab enchiridii exilitate aliena ex ipsis philosophorum libris petita esse videantur. Huc pertinent, ni fallor, quaecunque inde a p. 102, 20—105, 23 de insipiente fusius et copiosius enarrantur. Talia apud Diog. non leguntur. Horum auctor fuit fortasse Chrysippus [cf. Schuchhardt p. 50 sq.], cuius scripta Ario snbfuisse nescio an colligi liceat e subscriptione, quae p. 116, 11 sqq. exhibetur [Arnim p. XLIII]:

„Ταῦτα μὲν ἐπὶ τοσοῦτον. Περὶ γὰρ πάντων τῶν παραδόξων δογμάτων ἐν πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις ὁ Χρύσιππος διελέχθη. καὶ γὰρ ἐν τῷ Περὶ δογμάτων καὶ ἐν τῇ Ὑπογραφῇ τοῦ λόγου καὶ ἐν ἄλλοις πολλοῖς τῶν κατὰ μέρος συγγραμμάτων.“

Iam huic commentationi finis imponatur; qua hoc effectum esse opinor, ut Didymi in manibus fuisse appareret Stoicae doctrinae

compendium; praeter quod in altera parte conscribenda alium fontem vel alios fontes arcessivisse videtur; simili ratione et in Prolegemenis et in eclogis Peripateticis componendis usus est.

Exquirere autem, quot quorumve Stoicorum sententiae enchiridio illo comprehendantur, cum nec ad eam, quam ego mihi proposui, quaestionem pertineat et verear, ne huius dissertationis angustos fines multum excedat, aliis permitto peritioribus.

Caput IV.

De Arii eclogis Platonicis ex Albini Platonici epitoma recuperandis.

Freudenthalius in eo libro, quem de Albini et Alcinoi introductionibus in Platonis opera confecit [Freudenthal „Albinos“ in „Hellenistische Studien“ Berlin 1879], posteaquam Alcinoum istum eundem esse comprobavit atque Albinum [1]), isagoga Platonica perperam Alcinoo ascripta [ap. C. F. Hermann. Plat. dial. vol. VI p. 152 sqq.] doctrinam eam, quam Arius Didymus in Platonis dogmatum adumbratione protulerat, referri coniecit. Sed tamen hanc quaestionem in transcursu perstrinxit nec ultra est persecutus. Tum eam Dielesius attigit in doxographis Graecis p. 76 sqq. nec levidensia attulit armenta ad illius opinationem sustinendam. Tota quaestio inde est exorta, quod idem caput, quod et Eusebius praepar. evang. XI 23 („ἐκ τοῦ Διδύμου περὶ τῶν ἀρεσκόντων Πλάτωνι συνταγμάτων“) et Iohannes Stobaeus ex eclogis Didymeis excerpserunt, in Albini introductionis capite 12. servatur; horum scriptorum Eusebius accuratissime, Stobaeus paullo neglegentius, liberrime Albinus exemplar expressit. Proclivis igitur est coniectura „plura, fortasse

---

1) Haec coniectura optime, opinor, defenditur loco Procli in Tim. I p. 219 Diehl; ubi quae legis „ὅ γε Πλατωνικὸς Ἀλβῖνος ἀξιοῖ κατὰ Πλάτωνα τὸν κόσμον ἀγένητον ὄντα γενέσεως ἀρχὴν εἶναι“ conspirant atque concinunt cum Albini hisce (p. 169 cap. 14): „ὅταν δὲ εἴπῃ γεννητὸν εἶναι τὸν κόσμον, οὐχ οὕτως ἀκουστέον αὐτοῦ, ὡς ὄντος ποτὲ χρόνου, ἐν ᾧ οὐκ ἦν κόσμος· ἀλλὰ διότι ἀεὶ ἐν γενέσει ἐστὶ καὶ ἐμφαίνει τῆς αὐτοῦ ὑποστάσεως ἀρχικώτερόν τι αἴτιον sqq.“.

omnia" esse transscripta. Hoc ut accuratius demonstraret, gravissima ex universa epitomae indole argumenta Dielesius petivit. Attendendum esse explicuit praeter apertam Stoici confessionem (cap. 4. p. 155, 23), quacum conferri posset Arii illa consuetudo, ut Stoicorum formulas apponeret [Diels fr. 2 = Stob. ecl. I p. 132; et fr. 40 = ecl. I p. 136], ex Chrysippi imitatione ab utroque poetarum versus addi et utrumque capita tantum se tangere inculcare; dein Peripateticae partitioni philosophiae theoreticae et practicae tertiam addi partem dialecticae (cap. 3), quo Stoicorum tripertita ratio φυσική, ἠθική, λογική exaequaretur. Eandem divisionem Didymum amplexari [v. quae exp. p. 1]. Maioris vero esse momenti, quod moralis loci ab utroque divideretur ethicus, oeconomicus, politicus [Alb. p. 153, 32 sqq. cap. 3; Stob. ecl. II p. 147, 26], is autem, qui ad rei familiaris curam spectaret, contra fidem ab Albino omitteretur. Ad extremum non solum Ariani tituli similem esse Albini inscriptionem, quae in Vindobonensi codice sic legeretur „Ἐπιτομὴ τῶν Πλάτωνος δογμάτων", verum etiam paene eundem capitum ordinem in morali philosophia a Didymo (in eclogis Peripateticis) servari.

His argumentis me non multum, quod eiusdem ponderis sit, adicere posse minime nescius sum. Tamen mihi quoque, ut qui de Arii moralis philosophiae epitoma scribere animo proposuerim, quae ratio Arium inter et Albinum intercedat, explicandum esse putaverim.

Ac praemitto nonnulla de Apuleio Platonico; ab hoc qui perscriptus est libellus „de Platone et eius dogmate" Faustino filio eo consilio dedicatum, ut Platonis ei notitia brevi aperiretur, eum permultis in rebus cum Albini isagoga consentire perspexit Hermannus Hobein „De Maximo Tyrio quaestiones philologae selectae" diss. Gott. 1895 p. 39 sqq. Huius commentationem ignorasse videtur, qui postea rem pertractavit Thaddaeus Sinko „Abhandlungen der Krakauer Akademie; phil. Klasse" vol. 41. Hic Albini et Apulei libellis diligentis-

sime comparatis eundem fontem ab utroque usurpatum esse evicit.

Quapropter ita res mihi agenda erit, ut Apuleii locos Albinianis ascribam, hic illic accuratius examinem. Argumentationem vero ita instituam, ut non solum similes apud Albinum et Arium Didymum sententias expiscer similemque in modum ab utroque Platonica, Peripatetica, Stoica confundi ostendam, sed communis fontis vestigia detegam. Antiochi enim scripta, quae ab Ario, cum non solum in eclogis Peripateticis, sed etiam ubicunque prohoemii de Platone tractatur, adhibita sint, in Platonica quoque parte depilata esse magna cum probabilitate conici potest, etiam ab Albino non mediocriter exhausta esse demonstraturum me esse spero.

Contulit Freudenthalius p. 297, quae cap. 2 p. 152 sq. de vivendi rationibus explicat Albinus, cum Arianis, quae ap. Stob. p. 144, 16 sqq. leguntur. Sed cum hic Antiochia ratione vita ex umbratili et negotiosa temperata utilior esse dicatur sola theoretica et is, qui utramque amplecti non possit, ad res gerendas accedere iubeatur (vide quae exp. p. 64), illic manifesto practica vita contemplativae postponitur; haec duo igitur non bene comparantur.

Praetereo, quae de dialectica arte disseruntur, et vertor ad ea, quae de rerum principiis ac de deo enarrantur.

Atque cap. 8. de materia ac de figuris[1]) similia disserit Albinus iis, quae Didymus ecl. I p. 132, 21 sqq. Aristoteli attribuit: materiam quasi ἐκμαγεῖον esse ac figurarum capacem ideoque qualitatibus carere (ἄποιον εἶναι) et figura (ἀνείδεον); neque esse corpoream nec sane incorpoream,

1) cf. Proclus in Tim. I p. 2 Diehl: Οἱ δὲ μετὰ Πλάτωνα προστάντες τῆς αἱρέσεως, οὐ πάντες, ἀλλ' ὅσοι γε αὐτῶν ἀκριβέστεροι, καὶ τὸ εἶδος μετὰ τῆς ὕλης θεωρεῖν ἠξίωσαν τὸν φυσικόν, εἰς ὕλην καὶ εἶδος ἀναγόντες τὰς τῶν σωμάτων ἀρχάς· καὶ γὰρ εἴ που καὶ τῆς ποιητικῆς αἰτίας διαμνημονεύουσιν, ὥσπερ ὅταν τὴν φύσιν ἀρχὴν κινήσεως λέγουσιν [Stob. ecl. I p. 132, 10 sq.], ἀλλ' ἀφαιροῦσιν αὐτῆς τὸ δραστήριον καὶ τὸ κυρίως ποιητικόν κτλ.

sed vi et ratione (δυνάμει) videri corpoream (σωματικήν). Cf. Apuleius de Pl. et eius dogm. I 5 p. 86 sqq. Thomas; Diog. Laert. III 66; Plutarchi epitom. (Diels dox. 308).

Etiam quae de figuris enarrantur, eo consentiunt, quod ab utroque ad materiae ac figurarum naturam explicandam imago petitur ab aere ad statuam efficiendam destinato:

Albin. p. 163, 6 sqq.	Stob. ecl. I p. 135, 7 sqq.
Τοιαύτη (ἡ ὕλη) οὖσα οὔτε σῶμα ἂν εἴη οὔτε ἀσώματον, δυνάμει δὲ σῶμα, ὡς καὶ τὸν χαλκὸν ὑπακούομεν δυνάμει ἀνδριάντα, διότι τὸ εἶδος δεξάμενος ἀνδριὰς ἔσται.	ὁ γὰρ χαλκὸς ἀνδριάς οὐδέπω, πλὴν ὅτι μὴ δυνάμει, διαπλασθεὶς δὲ καὶ τὴν προσφορὰν λαβὼν μορφικὴν ἐντελεχείᾳ λέγεται.

Utramque doctrinam ex Antiochi sententia, qui Peripatetica et Platonica commiscebat, pendere contendo. Cuius perbrevem de rerum principiis habemus narrationem ap. Cic. acad. I 6, 24 sqq., cui summa cum illis necessitudo intercedit. Duas esse res Ascalonitae placuit efficientem alteram, alteram huic quasi se praebentem. In eo, quod efficeret, vim esse, in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam: in utroque tamen utrumque; neque enim materiam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia; nihil enim esse, quod non alicubi esse cogeretur. Sed quod ex utroque, id iam corpus et quasi qualitatem quandam nominari (cf. Stob. ecl. I 132, 17—19; 24 sq.). Subiectam autem esse omnibus sine ulla specie atque carentem omni illa qualitate materiam, e qua omnia expressa atque efficta essent, quam omnia accipere posse atque ex omni parte omnibusque modis mutari (cf. Albin. 162 cap. 8: ἰδιότητα δὲ ἔχειν τοιαύτην, ὥστε πᾶσαν γένεσιν ὑποδέχεσθαι κτλ.)[1]).

---

1) Antiochia inesse in physicis Arii fortasse demonstratur etiam fragmento, quod legitur ecl. I p. 136, 21 sqq. Ubi non solum „veterum" nomen, sed etiam ea ratio, ut Stoici termini Platonicis explicentur, Antiochi sapit doctrinam, qui nominibus, non rebus Stoicos a veteribus

Progredior ad cap. 12, ubi disputatio instituitur de mundo et quattuor elementis. Cf. Apuleius I 7, 8; Diog. Laert. III 70, 73, 75. Cuius primarium esse fontem Ascalonitae librum crediderim. Hic (acad. I 7, 26) quattuor internoscit elementa aërem et ignem, aquam et terram; quibus ab Aristotele quintum genus addi singulare, e quo constent astra et mens [cf. Stob. ecl. I p. 204, 6 et 212, 13 sq.]. Ex his, quae principia simpliciaque sint, ortas animantium formas earumque rerum, quae gignantur e terra. Cf. Apul. I 7 p. 88 Thom.: „Hinc prima elementa esse progenita . . . quae si elementa sunt, simplicia esse debent neque ad instar syllabarum nexu mutuo copulari, quod istis evenit, quarum substantia multimoda potestatum coitione conficitur . . . (cap. 8) Sed de primis elementis, igni et aqua ceterisque, et illa constare particulatim animalium et inanimantium corpora . . .".

Diog. Laert. III 70 „ἐξ ὧν αὐτόν τε τὸν κόσμον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ γεννᾶσθαι".

Sequitur apud Ciceronem, Albinum, Apuleium argumentatio, quae prorsus eadem ratione procedit:

Cic. acad. I 7, 28.	Apul. I cap. 8.	Albin. cap. 12.
	. . . mundumque omnem ex omni aqua totoque igni et aëris universitate cunctaque terra esse factum et non solum nullam horum partem extra orbem relinqui, sed ⟨ne⟩ vim	Ἐξ ἑκάστου γὰρ ὅλου τῶν τεττάρων αὐτὸν στοιχείων ἐγέννησε, πυρός τε παντὸς καὶ γῆς ὕδατός τε καὶ ἀέρος, οὐδὲν μέρος οὐδενὸς ἀπολιπὼν οὐδὲ δύναμιν . . . .

differre dictitabat. Ceterum eadem ratio cernitur in dialectices expositione Albiniana p. 155, 23 („ἡ τότε λεγομένη νόησις νῦν ἐλέχθη φυσικὴ ἔννοια"); quae cum ita sint, quod in logicis Theophrasti vestigia deprehenduntur [cf. Freudenthal. p. 297], fortasse non sine momento est. Cf. Stob. ecl. II p. 140, 7 sqq., ubi Antiochum fontem esse demonstravi supra p. 59.

E quibus (quae appellat qualia) omni natura cohaerente et continuata, cum omnibus suis partibus unum effectum esse mundum, extra quem nulla pars materiae sit nullumque corpus: partis autem esse mundi omnia, quae insunt in eo, quae natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quae sit eadem sempiterna: nihil enim valentius esse a quo intereat[1]).

quidem eius [et] extrinsecus inveniri. Haec autem invicem ex se intra se apta et conexa esse; idcircoque in igne atque terra, aqua et aëre est situs et, sicut ignis aëri cognatione coniungitur, ita umor adfinitati terrenae iugatur. Hinc unum esse mundum in eoque omnia nec relictum locum, in quo alius, nec elementa superesse, ex quibus alterius mundi corpus possit esse. Ad haec ei adtributa est perpetua iuventas et inviolata valitudo eoque nihil praeterea extrinsecus est relictum, quod corrumpere posset ingenium eius et, si superesset, non eum laederet.

. . . . Κατὰ δὴ τὸν εἰκότα λόγον ἐκ γῆς αὐτὸν καὶ πυρὸς ἐποίησεν· ἐπεὶ δὲ καὶ δεσμὸν ἔδει τινὰ συναγωγὸν ἀμφοτέρων ἐν μέσῳ γενέσθαι . . . διὰ τοῦτο πυρὸς ἐν μέσῳ καὶ γῆς ἀήρ τε καὶ ὕδωρ ἐτάχθη . . . τῷ δὲ μηδὲν ἔξωθεν ὑπολείπεσθαι καὶ μονογενῆ τὸν κόσμον ἐποίησε καὶ κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῇ ἰδέᾳ εἰκασμένον μιᾷ οὔσῃ, πρός τε τούτοις ἄνοσον καὶ ἀγήρω, ἅτε αὐτῷ μηδενὸς προσιόντος τοῦ κηραίνειν πεφυκότος.

1) Ad haec a Cicerone adnectitur de rerum fine adumbratio, qua mire diversarum sectarum sententiae miscentur: regi mundum aut a deo aut providentia aut fato aut fortuna [Zeller, III a 604 6]. His non sine fructu comparantur, quae ap. Diog. Laert. III 96, Maximum Ty-

Antiochia haec esse quoniam ostendi, verto me ad cap. 14, ubi tempus mundanae conversionis spatium intellegitur [cf. Apul. I 10 p. 93, 2]; quam finitionem Stoicis ascribit Didymus ap. Stob. ecl. I p. 104, 7 sq.[1]); 105, 9 sq.; ibd. 20 sq. (Posidon.). Cf. Norden, Fleckeis. annal. suppl. XIX (1892) p. 451.

Sed aggredior ad moralis philosophiae adumbrationem, de qua potissimum agere animo proposui.

Atque cap. 27. (p. 180) prope accedens ad Antiochia Arii ecl. II 55, 7 sqq. bonorum alia divina, alia humana esse Albinus enarrat [= Apuleius de Plat. II 1 p. 104, 11 sqq. Thomas].

Eas autem res, quae vulgo appellentur bona, ut quae materiae locum obtineant (ὕλης μόνον ἐπέχειν τάξιν; cf. Antioch. ap. Stob. II 129, 22; 134, 19) non nisi veri boni h. e. honesti perceptione, quod δαιμονίως πως praedicetur (cf. Stob. 119, 14 δαιμονίως θαυμάσαντες) bona fieri; quapropter non utilitatem, immo vero damnum ex illarum rerum usu iis profluere, qui virtutis non sint participes (cf. Apuleius II 12 p. 114; 23 p. 127, 2 sqq.). Solum quippe, quod honestum sit, bonum esse virtutisque usum ad beatitudinem sufficere (p. 180, 34 sq.; cf. Apul. II 13 p. 116, 1 sqq.). Habes igitur peculiarem Ascalonitae doctrinam Stoica mira confusione Platonicis admiscentis; quo de cf.

---

rium 11, 4 [Hobein p. 53], Diotogenem Pythagoreum [Stob. ecl. I p. 93, 1—13] leguntur: rerum finem esse statuit Diogenes sive κατὰ νόμον sive κατὰ φύσιν sive κατὰ τέχνην sive κατὰ τύχην; cuius divisionis ad similitudinem accedit Maximi, qui 11, 4 haec habet: „καὶ μὴν τῶν ὅσα οἱ ἄνθρωποι εὔχονται γενέσθαι, τὰ μὲν ἡ πρόνοια ἐφορᾷ, τὰ δ' ἡ εἱμαρμένη καταναγκάζει, τὰ δὲ μεταβάλλει ἡ τύχη, τὰ δὲ οἰκονομεῖ ἡ τέχνη“. Cf. Stob. ecl. I p. 93, 1 sqq. Tria nominat Sallustius Neopythagoreus ap. Mullach. fragm. phil. Graec. vol. III cap. 5 πρόνοιαν et εἱμαρμένην et τύχην.

1) p. 104, 7 sqq.: Ζήνων ἔφησε χρόνον εἶναι κινήσεως διάστημα, τοῦτο δὲ καὶ μέτρον καὶ κριτήριον τάχους τε καὶ βραδύτητος, ὅπως ἔχει . . . Lacunam voce <ἕκαστα> explevit Wachsmuth. Sed cf. p. 105, 20 „διάστημα κινήσεως ἢ μέτρον τάχους τε καὶ βραδύτητος, ὅπως ἔχει τὸ ἐπινοούμενον. Itaque, num rectum invenerit editor, dubium; malim ὅπως ἔχει <τὸ ἐπινοούμενον>.

Stob. II p. 50, 4; 55, 22 sqq.; 147, 22 sqq., quae hic retractare supersedeo (cf. etiam p. 136, 4 sqq.) [Freudenthal p. 297].

Ceterum Antiochia sunt sine dubio etiam, quae Diogenes Laertius III 78 exhibet vitam beatam nimirum et beatissimam distinguens: „Τέλος μὲν εἶναι τὴν ἐξομοίωσιν τῷ θεῷ. τὴν δ' ἀρετὴν αὐτάρκη μὲν εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν, ὀργάνων δὲ προσδεῖσθαι τῶν περὶ σῶμα πλεονεκτημάτων, ἰσχύος, ὑγείας, εὐαισθησίας, τῶν ὁμοίων· καὶ τῶν ἐκτός, οἷον πλούτου καὶ εὐγενείας καὶ δόξης. οὐδὲν δὲ ἧττον εὐδαίμονα ἔσεσθαι τὸν σοφόν, κἂν ταῦτα μὴ παρῇ".

Nec aliter iudico de cap. 28. (p. 181); ubi p. 181, 16 congruenter cum Antiocho ap. Arium p. 49, 9 sapientiae finis in dei similitudine conspicitur. Cf. Apul. de Plat. II 23 p. 126, 4 sqq. Thom.; Diog. Laert. III 78 (v. supra); Simplic. in phys. 250, 10 ed. Diels; Proclus in Tim. p. 211 vol. I Diehl. Haec sententia apud utrumque similiter exemplis ab ipsis Platonis libris petitis illustratur: allegantur Theaetetus ac Respublica, praeterea ab Albino Phaedo, Timaeus ab Ario. Sed hoc quidem gravissimum est, quod ab utroque disputandi varietas, qua Plato usus sit, praedicatur („ποικίλως δὲ τοῦτο χειρίζει" cap. 28 init. Cf. Stob. II 52, 2 „καὶ τὴν μὲν ποικιλίαν τῆς φράσεως ἔχει διὰ τὸ λόγιον καὶ μεγαλήγορον . . ."). Addit Apuleius de Plat. II 23, 7 sqq. illud „ἕπου θεῷ", quod a Pythagora inventum, sed a Platone excultum esse Antiochus ap. Stob. p. 49, 16 sqq exponit.

Tum Albini definitio, secundum quam bonum est utilitatis principium (p. 181 extr. „τῆς ὠφελείας ἀρχὴ τὸ ἀγαθόν"), prope accedit ad Antiochi verba, qui Stob. p. 52, 22 sq. Stoicos sequens bonum esse ait „ἀφ' οὗ συμβαίνει τὸ ὠφελεῖσθαι". Et cum eo, quod beatitudo ab Albino p. 182, 2 genii bona valetudo („τοῦ δαίμονος εὐεξία") dicitur, conferri licet Arii haec: p. 52, 1 sqq. Ὁ δὲ Πλάτων τῷ Δημοκρίτῳ κατὰ τοῦτο συνᾴδων γράφει περὶ τοῦ κυριωτάτου τῶν ἐν ἡμῖν δεῖν ὑπολαβεῖν 'ὡς ἄρ' αὐτὸ δαίμονα ἡμῖν δέδωκεν ὁ θεός' καὶ ἐν αὐτῷ τὸ εὔδαιμον. λέγει δὲ τοῦτ' ἐν τῷ ἡγεμονικῷ τῆς ψυχῆς ἕξιν τινὰ ποιὰν καὶ διάθεσιν.

Plus valent verba Apuleii, quae cum alii tum novissimus editor Paulus Thomas non intellexere: legimus enim de Plat. II 23 p. 126, 20 sqq. Thom. haec:

„Et ad ornamentum quidem genialis loci, ⟨id⟩ est virtutis, nullis extrinsecus eorum, quae bona dicimus, adminiculis indigemus; ad usum autem vitae communis corporis cura et eorum, quae extrinsecus veniunt, praesidiis opus est, ita tamen, ut haec eadem fiant virtute meliora eiusque suffragio beatitudinis commodis copulentur, sine qua haec in bonis minime sunt habenda“.

Genialis locus, quid sit, incertum esse profitetur Thomas; sed id apparet genii sedem vel domicilium significari (cf. Hildebrand. in edit. ad. h. l.). Iam evolve Arii placita: p. 52, 15 Democrito, quocum consensisse Platonem ait p. 53, 1 sq., haec ascribit: „Εὐδαιμονίη ψυχῆς καὶ κακοδαιμονίη“. „Εὐδαιμονίη οὐκ ἐν βοσκήμασι οἰκεῖ, οὐδὲ ἐν χρυσῷ· ψυχὴ οἰκητήριον δαίμονος“ [= Diels „Vorsokratiker“ ² vol. I 55 B p. 416 frg. 170 et 171]. Iam apparet genialem locum intellegendum esse οἰκητήριον δαίμονος h. e. animum; qui externis bonis opponitur[1]). Ceterum totum hoc Apuleiani libelli caput scatet sententiis Antiochiis: initio alluditur ad ὁμοίωσιν θεῷ; dein sapientem non solum perspectandi cognitionem, verum etiam agendi operam suscepturum esse auctor asseverat [cf. Stob. ecl. II p. 144, 4 sqq.]; tum ad usum vitae communis corporis curam et eorum, quae extrinsecus sunt, quae nisi virtutis perceptione in bonis habenda non sint, praesidia desiderari congruenter cum Antiocho exponit. Cf. Stob. p. 125, 17—19; p. 56, 2—7; 147, 22—25.

Sed redeo ad Albinum; qui cap. 28 p. 182, 3 sqq., ut ad dei similitudinem perveniat sapientiae studiosus, opus esse ait bona indole (φύσει), consuetudine et exercitatione (ἔθεσί τε καὶ ἀγωγῇ καὶ ἀσκήσει τῇ κατὰ νόμον), ad extre-

---

1) Secuntur verba „est virtutis“ aut „vel virtutis“ (cod F); quae cum non bene quadrent ad priora, quibus animus significatur, ut glossema videntur delenda esse.

mum ratione ac disciplina (λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ καὶ θεωρημάτων παραδόσει). Cf. Apul. de Plat. II 6; Diog. Laert. III 79. Idem docet Arius Antiocho duce p. 116, 22—117, 7; 118, 5 sq.; 136, 16—21; cf. 51, 6.

Sequitur in cap. 29. virtutis definitio Platoni ignota, secundum quam est perfectus et optimus animi status (διάθεσις ψυχῆς τελεία καὶ βελτίστη). Cf. Apul. de Plat. II 5 p. 107, 19 Thom. Similia Aristoteli attribuit Didymus Ascalonitae vestigia premens p. 51, 1 sq. (ἡ δ' ἀρετὴ ἕξις ἡ βελτίστη ψυχῆς) et p. 128, 11 sq. (ἀρετὴν δ' ὠνομάσθαι τὴν ἀρίστην διάθεσιν ἧ καθ' ἣν ἄριστα διάκειται τὸ ἔχον). Atque ut hic p. 128, 23 sqq. virtutem rationis et affectus concordiam consensumque esse vult (ἁρμονίαν καὶ συμφωνίαν), sic Albinus p. 182, 15 virtute hominem concordem sibi et quietem fieri non negat (εὐσχήμονα καὶ σύμφωνον καὶ βέβαιον).

Quacum explanatione tam arte est conexa enarratio de singulis virtutibus earumque in anima sede, ut hanc quoque ad Antiochum redire conicere liceat. Et ad eandem rationem deducimur ipsis sententiis examinatis. Dividit animum Albinus (= Apul. de Plat. II 6 sq.) in partem rationalem et irrationalem: quarum ad priorem pertinere affirmat Apuleius prudentiam, quam intellegit scientiam bonorum et malorum, eorum etiam, quae media dicuntur, et sapientiam, quam disciplinam vult videri divinarum humanarumque rerum Stoica ratione usus, quae etiam apud Albinum p. 152, 4 sq. cernitur [Zeller. hist. phil. III[a] 238; Hobein. l. c. p. 52]. Haec partitio, quae a Platone plane est aliena [cf. Hermann vol. VI praef. XXIV ad Albin. cap. 29, 4], sed Antiocho comprobatur Platonica et Aristotelica confundenti (Stob. II p. 117, 11 sqq.), nescio an etiam in Albinianis cap. 29 p. 182 lateat, quae in Hermanni editione sic leguntur: τῶ δὲ εἴδη αὐτῆς λογικαί, αἱ δὲ περὶ τὸ ἄλογον ψυχῆς μέρος συνιστάμεναι, οἷον ἀνδρία καὶ σωφροσύνη, περὶ μὲν τὸ θυμικὸν τῆς ἀνδρίας συνισταμένης, περὶ δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν τῆς σωφροσύνης. Haec cum misere sint corrupta nec adhuc emendata, accuratius examinabo.

Habemus autem, si Hermanno (praef. XXIV.) fides, lectionum varietatem hanc:

τῷ δὲ ἐν εἴδει αὐτῆς λογικαὶ PQA.
δὲ περὶ τὸ ἄλογον αὐτῆς μέρος P.
δὲ καὶ περὶ τὸ ἄλογον αὐτῆς μέρος Q.
δὲ αἵ περὶ τὸ ἄλογον αὐτῆς μέρος A.
συνιστάμεναι, οἷον ἀνδρία καὶ σωφροσύνη . . . PQA.

Unde Hermannus effecit: τὼ δὲ εἴδη αὐτῆς λογικαί, αἱ δὲ περὶ τὸ ἄλογον ψυχῆς (sic!) μέρος συνιστάμεναι, οἷον κτλ.

Sed primum quidem ἐν εἴδει τινὸς εἶναι recte dicitur pro εἶδός τινος εἶναι. Cf. Aspasius in eth. Nicom. p. 43, 3 ed. acad. „ἐπεὶ γὰρ ὁμολογεῖταί τις ἡδονὴ ἐν εἴδει τοῦ πάθους καὶ λύπη"; Stob. ecl. II 88, 6 (Stoica), „ἐπεὶ δ᾽ ἐν εἴδει τὸ πάθος τῆς ὁρμῆς"; ibid. 146, 16: „τῶν δ᾽ ἐν εἴδεσι τῶν εἰρημένων . . ."

Prius autem membrum mancum esse non solum codicum lectione, inprimis voce αὐτῆς (quam prava ratione usus Herm. attigit), sed etiam alterius membri forma, in quo ipsae virtutes irrationales nominantur, demonstratur. Hinc apparet rationalis quoque partis virtutes — nam plus unam desiderari voce λογικαί docemur et res firmatur Apulei testimonio — nominatim olim significatas fuisse. Sic igitur orationem refingendam esse censeo: „τῶν δὲ ἐν εἴδει αὐτῆς λογικαὶ ⟨μὲν αἵ περὶ τὸ λογιστικὸν τῆς ψυχῆς μέρος συνιστάμεναι οἷον σοφία καὶ φρόνησις, ἄλογοι⟩ δὲ αἱ περὶ τὸ ἄλογον αὐτῆς μέρος συνιστάμεναι οἷον ἀνδρία καὶ σωφροσύνη."

Iam vero singularum virtutum definitiones maxime Ascalonitae rationem redolent. Cuius more [de fin. V 23, 67] prudentia (φρόνησις) e Stoicorum imitatione [Stob. ecl. II 59, 5 sq.] bonorum et malorum eorumque, quae media sunt, scientia nuncupatur [cf. Stob. ecl. II p. 131, 11 sq.]; et temperantiam, quam Albinus „τάξιν περὶ τὰς εὐθυμίας καὶ τὰς ὀρέξεις καὶ τὴν εὐπείθειαν αὐτῶν πρὸς τὸ ἡγεμονικόν" dicit [cf. Stob. ecl. II p. 38, 3 sqq.; 117, 8; 123, 24], ille de fin. V 23, 67 in praetermittendis voluptatibus cerni vult.

Fortitudinem vero, quam in laboribus periculisque conspici Tullius l. c. breviter exponit, Albinus ad Platonis definitionem de republ. p. 433C, cui similes sunt Sphaeri Stoici apud Ciceronem[1]), proxime accedens hisce verbis circumscribit: „ἡ δὲ ἀνδρία ἐστὶ δόγματος ἐννόμου σωτηρία ⟨περὶ τοῦ⟩ δεινοῦ τε καὶ μὴ δεινοῦ, τουτέστι διασωστικὴ δύναμις δόγματος ἐννόμου.“ Iustitiam denique uterque per ceteras fundi virtutes affirmat (quamquam Albin. ad animi divisionem hanc sententiam refert)[2]) earumque quasi παντέλειαν esse [cf. de fin. V 23, 66].

Qua in re proxime ad Tulliana accedit Apuleius, cum iustitiam perhibet esse *fidam speculatricem utilitatis alienae forasque spectare* (Cic. de fin. V 23, 67: „quando igitur inest in omni virtute cura quaedam quasi foras spectans aliosque appetens atque complectens . .“) atque *hominum societatis et concordiae remedium esse ac medicinam* (de fin. V 23, 65: „(iustitia) societatem coniunctionis humanae munifice et aeque tuens“). Haec omnia apparet e Stoicorum doctrina colores traxisse[3]).

---

1) Tusc. IV 24, 53: „Fortitudo est igitur adfectio animi legi summae in perpetiendis rebus obtemperans, vel conservatio stabilis iudicii in eis rebus, quae formidolosae videntur, subeundis et repellendis, vel scientia rerum formidolosarum contrariarumque aut omnino neglegendarum, conservans earum rerum stabile iudicium.“

2) Qua in re Stoica est Albini definitio: „(δικαιοσύνη) δύναμις οὖσα, καθ' ἣν ὁμολογεῖ καὶ συμφωνεῖ πρὸς ἄλληλα τὰ τρία μέρη τῆς ψυχῆς καὶ ἕκαστον πρὸς τῷ οἰκείῳ γίνεται καὶ ἐπιβάλλοντί τε καὶ κατ' ἀξίαν.“ Non recte Hermannus cum vulgata scripsit ἐπιβάλλοντι κατ' ἀξίαν omissis verbis τε καί. Cf. Stob. ecl. II p. 84, 13 sqq. „χρῆσθαι δ' ἡμᾶς φησιν (Diogenes Stoicus) ἐνίοτε τῷ ὀνόματι τῆς ἀξίας ἀντὶ τοῦ ἐπιβάλλοντος· ὡς ἐν τῷ τῆς δικαιοσύνης ὅρῳ παρείληπται, ὅταν λέγηται εἶναι ἕξις ἀπονεμετικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ [= Stob. ecl. II p. 59, 9 sq; *de fin.* V 23, 67]· ἔστι γὰρ οἷον τοῦ ἐπιβάλλοντος.“

3) Iustitae religiositatem (ὁσιότητα) Apuleius adiungit, quae deum honori ac suppliciis divinae rei mancipata sit; hoc quoque Stoicum. Cf. Schmekel l. c. p. 273; Sext. Emp. adv. phys. I 124; Diog. Laert. III 83: „Τῆς δὲ δικαιοσύνης εἰσὶν εἴδη τρία· ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς ἐστι περὶ θεούς, ἡ δὲ περὶ ἀνθρώπους, ἡ δὲ περὶ τοὺς ἀποιχομένους.“

Cum hac disputatione artissime est coniuncta et ex eodem sine dubio auctore petita altera, qua virtutes semet comitari omnesque prudentiae subservire exponitur [1] [Alb. p. 182 extr. sqq. = Apul. de Plat. II 6 p. 108. Profertur hic ab Albino p. 183, 4 eadem fortitudinis finitio quae p. 182; cf. etiam 183, 7 (de prudentia) cum 182, 23 cap. 29]. Eadem sententia exprimitur ab Ario p. 142, 6—13; quam sectionem Ascalonitae e libro fluxisse Albini quoque testimonio demonstratur. Sed virtutes perfectas, etsi inter se sint conexae atque alia ab alia non possit separari (Alb. cap. 29. extr. „ἀχώριστοι οὖν εἰσιν αἱ ἀρεταὶ ἀλλήλων αἱ τέλειαι“ cf. Stoica ap. Stob. p. 63, 6 sqq. „πάσας δὲ τὰς ἀρετάς, ὅσαι ἐπιστῆμαί εἰσι καὶ τέχναι (h. s. ἀρεταὶ τέλειαι p. 62, 15 sq.), κοινά τε θεωρήματα ἔχειν καὶ τέλος, ὡς εἴρηται, τὸ αὐτό, διὸ καὶ ἀχωρίστους εἶναι“), tamen individuas sibi esse (Apul. p. 108, 22; Alb. 183, 1 „κατ᾽ οἰκείαν ἰδιότητα κατεσταλμένων“; Stob. 142, 8 sq. „ἡ μὲν φρόνησις ταῖς ἠθικαῖς κατὰ τὸ ἴδιον“) et proprium suum cuiusque munus [= de fin. V 23, 67]. Confluxerunt igitur huc tales sententiae, quales Stoicorum coloribus tinctae [cf. Madv. ad de fin. V 23, 65; Stob. ecl. II 63, 6 sqq.] et ap. Cic. de fin. V 23, 65 sqq. et ap. Stob. ecl. II p. 128, 2 et 142, 6—13 secundum Antiochum enarrantur.

His absolutis cap. 30. inducitur nova virtutum divisio in perfectas et imperfectas, quae etiam ab Ario p. 131, 14—18 effertur [= Apul. de Plat. II 6 p. 108.; vide Sinko p. 154.; Freudenthal. p. 297.], Tamen, cum Arium Peripatetico nescio cui, qui a Critolao stabat, se mancipasse demonstraverim, ab Albino Antiochi vestigia premi

1) Ubi rescripsit Zellerus haec: Τοιοῦτο μὲν τὸ τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν εἶδος παθητικὸν καὶ κατὰ μεσότητα θεωρούμενον, ὃ δὴ καὶ ἀντακολουθίαν ἔχει <τῇ φρονήσει>. Sed illa ἀντακολουθία, quamnam ad virtutem pertineat, postea demum explicatur verbis: „πλὴν οὐχ ὁμοίως, ἀλλ᾽ ἡ μὲν φρόνησις ταῖς ἠθικαῖς κατὰ τὸ ἴδιον, αὗται δ᾽ ἐκείνῃ κατὰ συμβεβηκός.“ Itaque verba <τῇ φρονήσει> non recte adduntur. Haec sententia stabilitur Albini testimonio, qui p. 183, 2 sq. haec exhibet: „ὅθεν καὶ ἀντακολουθεῖν ἡγητέον τὰς ἀρετάς.“

puto [cf. quae exp. p. 49 sqq.]. Nam cum in iis, quae praecedunt, ad hanc partitionem alludit (cap. 29. extr.) tum, quaecunque secuntur, Ascalonitae debet. Primum enim sententia, qua imperfectas virtutes se comitari infitiatur, manifesto opponitur iis, quae de perfectarum ἀντακολουθίᾳ antea illo duce exposuerat. Tum, quod vitia alia aliis esse maiora (non tamen perfectas virtutes crescere posse) ideoque non paria esse peccata (p. 183, 19 sqq. et 184, 8 sqq.) affirmat, ambiguum esse nequit, quin Antiochum, qui eadem argumentatione contra Stoicos utitur, sequatur (acad. II 43, 133; de fin. IV 24, 67 sq.: hic quoque virtutes vitiis opponuntur). Quacum doctrina cohaerent, quae de progressione et de medio quodam habitu neque bono neque malo proferuntur (= Apul. II 3 p. 106, 2 sqq.); haec quoque Ascalonitae placuerunt. Cf. de fin. IV 23, 65 sq.; acad. I 5, 20. Nec aliter iudicandum videtur esse de proximis p. 183 extr. 184 init. = Apul. II 9 p. 112, 18 sqq.[1]).

Explicatur enim eadem ratione, quae ap. Stob. II p. 117, 11—118, 4 conspicitur, virtutum alterum genus, ad quod sapientia ac prudentia pertineant (cf. Apul. l. c. et verba Albini: „ἡγουμένας μὲν τὰς ἐν. τ. λογ.“), disciplina provenire et doceri posse, alterum vero consuetudine comparari et exercitatione (Stob. 117, 1—10; 118, 5 sq.).

Concludit hoc caput Albinus, cum disserit de virtutum natura, quas medietates esse ait, quod careant redundantia et egestate et in meditullio quodam vitiorum sint sitae (= Apul. II 5 p. 108, 10 sqq.). Hanc doctrinam veteribus Academicis non minus placuisse quam Peripa-

---

1) „Virtutes eas doceri et studeri posse arbitrabatur, quae ad rationalem animum pertinent, id est sapientiam et prudentiam (cf. Albinus 183 extr. ἡγουμένας μὲν τὰς ἐν τῷ λογιστικῷ; cf. quae exp. p. 93 sq.) . . . . ceteras, si perfectae sunt, virtutes appellat, si semiperfectae sunt, non illas quidem disciplinas vocandas esse censet, sed nec in totum existimat disciplinis alienas.“ Cum ultimis cf. quae restitui ap. Stob. p. 118, 2 sqq.: „ὅθεν καὶ τὴν ἠθικὴν οὐκ εἶναι μὲν ἐπιστήμην, <ἐοικέναι δὲ ἐπιστήμῃ . . .“>.

teticis statuit Antiochus academ. I 10, 38). Cf. Stob. p. 137, 14 sqq.; 145, 11 sqq.

Praetereo caput proximum (cap. 31); quamquam et hic (p. 185, 13 sq.) ratione, consuetudine, exercitatione virtutes absolvi ac perfici dicuntur.

Graviora sane, quae cap. 32. de affectionibus animi explanantur. His manifestus impetus fit in Chrysippum Stoicum, qui perturbationes iudicia esse et opiniones ideoque in nostra potestate autumabat. („ὅτι οὐ κρίσεις τὰ πάθη οὐδὲ δόξαι . . . . .καὶ τὰ ἡμέτερα ἔργα οὐδ' ἐφ' ἡμῖν" cf. Tusc. disput. IV 6, 11). Iam evolve Galeni illum librum de placitis Hippocratis et Platonis: invenies iisdem fere verbis Chrysippum a Posidonio, qui multis in rebus cum veteribus consentire studebat, vexari p. 348, 12 sqq. Mueller: „Ποσειδώνιος . . . οὔτε . . κρίσεις οὔτε ἐπιγινόμενα κρίσεσιν εἶναι, ἀλλὰ ὑπὸ τῆς θυμοειδοῦς τε καὶ ἐπιθυμητικῆς δυνάμεως ἡγεῖται γίνεσθαι τὰ πάθη κατὰ πᾶν ἀκολουθήσας τῷ παλαιῷ λόγῳ." Cf. Bonhoeffer „Ep. u. d. Stoa" p. 233 sqq. Schmekel p. 262 sqq. Qua re Posidonii vestigia hic sequi auctorem demonstratur[1]). Posidonium vero ne Didymus quidem neglegit. Cf. ecl. I p. 105, 17; p. 133, 17; saepius; vide Diels dox. p. 77. de fragm. 31. = p. 184, 8 sqq.

Deinceps contra Stoicos, qui quattuor admittebant affectus principales, duos tantum στοιχειώδεις esse statuitur, voluptatem et dolorem; οὐ γὰρ συναριθμητέον τούτοις φόβον καὶ ἐπιθυμίαν ὡς ἀρχικὰ ὑπάρχοντα καὶ ἁπλᾶ. Cf. Stoica Stob. ecl. II p. 88, 12 sqq.; Peripat. p. 139, 6; 142, 20 sqq. Sed hoc quidem vulgare. Singularis vero, quae insequitur affectuum divisio in mansuetos (ἥμερα πάθη) et feroces (ἄγρια); cui quaedam intercedit similitudo cum Antiochia ap. Stob. ecl. II p. 142, 15 sqq.; duo quae hic internoscuntur genera Arii tribus sic accommodantur, ut altero compre-

---

1) Animi partes (μέρη) pro facultatibus (δυνάμεις) minus accurate dicuntur [Schmekel 259 et adn. 2]; sed hoc Platonico tribues. Cf. etiam M. Pohlenz, Jahrb. f. class. Phil. suppl. 24 (1898) p. 539 sqq.

hendantur Didymi affectiones honestae ac mediae (ἔλεον honestis adnumerat Arius; pro θυμῷ et αἰσχύνῃ nominat θάρσος et αἰδῶ). alterum congruat cum tertio, quod ille constituit, malarum (ἐπιχαιρεκακίαν uterque nominat).

Sine dubio autem id Antiochi mori convenit, quod voluptas bonum ἐπιγεννηματικόν, non προηγούμενον esse Stoica ratione dicitur [cap. 32. p. 187 = Stob. ecl. II 53, 15 sqq.].

Sequitur de amicitia ac de amore dissertatio, quam ad Ascalonitam esse referendam supra p. 60 sq. copiosius demonstravi.

Ad extremum quae in cap. 34, ubi de politicis rebus agitur — nam oeconomica omittuntur — profertur τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς definitio (dicitur autem θεωρητική τε καὶ πρακτικὴ καὶ προαιρετικὴ τοῦ ἀγαθὴν ποιεῖν πόλιν κτλ.) spectat ad Peripateticorum virtutum distinctionem, qui internoscebant virtutem theoreticam (h. e. σοφίαν) et practicam (h. e. prudentiam) [Eth. Nic. VI 4 1140[a], 1 sqq. Stob. ecl. II 145, 11 sqq.; inprimis v. 20 sq.] et προαιρετικήν (h. e. moralem) [Stob. 118, 3 sq. 145, 12 sqq].

Sed hic subsistamus.

Id quidem demonstrasse mihi videor Albini epitomam intima quadam necessitate coniunctam esse cum eclogis Didymeis. Quae res quomodo explicanda est? Proficiscor ab ea ratione, quae Albinum inter et Apuleium conspicitur; quam nonnisi scholarum natura et indole explanari posse recte statuit Thaddaeus Sinko, qui utrumque e Gai magistri commentariis pendere haud inepte coniecit; Gai autem sectatores, quanto opere imbuti fuerint talibus praeceptis, qualia a Didymo circumferuntur, docte demonstrat Dielesius in praefatione eius libri, cui „Berliner Klassikertexte“ inscribitur [vol. II praef. p. XXX sqq.]. Apud alios porro illius aetatis scriptores, apud Galenum, Sallustium Neopythagoreum, Laertium (III.), Maximum Tyrium hic illic similia legi docuit Hobeinus et ipse hanc quaestionem aliquot locis tetigi.

Deducimur igitur ad certam quandam compendiariam horum temporum doctrinam. Huius

traditionis quasi flumen in Antiochiae potissimum disciplinae altitudine exortum in Didymeae epitomae angustos fines coartatum esse putaverim; unde varia fortasse secum ducens rudera in itinere arrepta ad Gaium pervenisse et eius discipulos. Eiusmodi vero compendiorum, qualis fuisset condicio, dum per temporum ordinem propagabantur, ubi de Stoicae doctrinae enchiridio agebamus, accuratius vidimus: iterum iterumque pro aetatis cuiusque usu reformabantur, hic amplificabantur, illic in angustum cogebantur. Talem rationem etiam Arium inter et Albinum intercedere vel ex eo, quod unum apud utrumque traditum est, capite apparet [cap. 12. Alb. = Stob. I. p. 135, 20 sqq. Euseb. praep. ev. XI 23, 2], cuius verba aliquot locis ab Albino sunt mutata. Quae cum ita sint, genuinam integramque epitomae Didymeae formam Albinum ante oculos habuisse aut suae aetati nusquam inservisse verisimile esse mihi non videtur. Attamen cum haud paucae inveniantur sententiae mere Antiochiae et quae nihil fere discrepent a Didymeis vel Tullianis, Albini in Platonis scripta introductionem quodammodo adhiberi posse ad Arii de Platone placita recuperanda mihi persuasum est.

Appendix critica.

Compendii Didymei verba, quamquam optime a Wachsmuthio recognita nec paucis locis emendata sunt Usenero potissima conferente, nihilo minus permulta etiam nunc medicina egere emendationemque incohatam necdum ad finem perductam esse nemo non intellegit nec ipsum praeteriit editorem [cf. vol. I. Prolegem. p. XXXI].

Quae cum ita sint, me quoque, etiamsi non προηγουμένως de textu quaesivi, nonnulla invenisse, quae haud indigna viderentur, in quae accuratius inquireretur, nemo mirabitur. Horum alia, quae ad Arii fontes explicandos pertinebant, in ipso dissertationis contextu pertractavi, alia hoc loco examinare liceat. Addidi etiam perpaucos locos Albini, cuius epitomam ab Hermanno editam et a Freudenthalio hic illic emendatam multis adhuc mendis laborare in propatulo est.

Atque ut, quae de textu restituendo sentio, ea omnia in uno conspectu legerentur, ad eos quoque locos, de quibus supra egi, breviter legentes remittendos esse putavi.

1) Stob. ecl. I p. 104, 9: vide p. 90[1].

2) Stob. ecl. II p. 39, 4 vide p. 25[1].

3) Stob. ecl. II p. 39, 20 sqq.

Habemus librorum discrepantiam hanc: Φίλων ἐγένετο Λαρισαῖος, φιλόσοφος Ἀκαδημιακός [Ἀκαδημικὸς libri; corr. Wachs.], ἀκουστὴς Κλειτομάχου (FP)

P: τοῦ ἱκανὴν εἰσενεγκαμένου } προκοπὴν ἐν τοῖς λοιποῖς.
F: τῶν ἱκανὴν εἰσενεγκαμένων }

Wachsmuthius editor cum cod. F. τῶν . . . εἰσενεγκα-

μένων scripsit ita, ut haec ad Philonem Larisaeum spectarent. Quod mihi prorsus non probatur. Philonis enim eiusque in philosophiam meritorum deinceps fit mentio hisce verbis: οὗτος ὁ Φίλων τά τε ἄλλα πεπραγμάτευται δεξιῶς καὶ διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου sqq. Expectes vero de Clitomacho iudicium; quapropter alteram lectionem τοῦ . . εἰσενεγκαμένου recipiendam esse censeo; neque ipsum fugit Wachsmuthium oratione secundum codicis F auctoritatem constituta vocabulum ἐγένετο non bene eo loco, quo collocatum est, legi [ad 39, 20: „num ἐγένετο transponendum ante τῶν ἱκανήν?“]. Sed altero laborat mendo oratio: illud λοιποῖς, quid sibi velit, plane est obscurum. Sed cum logica potissimum et dialectica exercuisse Clitomachum constet [Stob. ecl. II 245; Cic. acad. II 31, 98; 32, 102], recte a Meinekeo vocem λογικοῖς repositam esse putaverim.

4). ibid. p. 39, 22 sqq.

Οὗτος ὁ Φίλων τά τε ἄλλα πεπραγμάτευται δεξιῶς καὶ διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου, ἣν ἐγὼ προχειριοῦμαι, περὶ ἧς ὁ λόγος.

Verba περὶ ἧς ὁ λόγος utpote supervacanea tamquam glossema e textu Heerenius eiecit. Sed qua quis re potuit adduci, ut talia adderet? Etiam Wachsmuthius, qui artificio quodam usus verba περὶ ἧς ὁ λόγος in ⟨οὐ⟩ περισσολόγως mutari voluit, erravit. Hoc enim est attendendum Arium non totius philosophiae, sed moralis tantummodo loci divisionem enarrare. Haec sententia desideratur. Quo sagaciter perspecto Usenerus collatis fortasse, quae p. 42, 10 de Eudori partitione leguntur similia „ἧς ἐγὼ διαιρέσεως ἐκθήσομαι τὸ τῆς ἠθικῆς οἰκεῖον“ haec proposuit „ἧς (pro ἣν) ἐγὼ προχειριοῦμαι τὸν περὶ ἠθικῆς λόγον“.

Sed tamen in emendando virum doctum a vero aberravisse persuasum habeo. Recedit enim primum nimis a codicum memoria, tum verba περὶ ἧς ὁ λόγος aliis locis defenduntur: Alex. Aphrod. in metaphys. p. 255, 23 ed. acad.: „ὡς δὲ ἐπὶ τούτων μιᾶς ἐπιστήμης, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν

προκειμένων, περὶ ὧν ὁ λόγος..“ ibd. p. 239, 12: „ἔπειτα δείκνυσιν, ὅτι αὕτη ἡ ἐπιστήμη σοφία, περὶ ἧς ὁ ἐνεστὼς λόγος.“ Cf. Aspasius in eth. Nic. p. 9, 10 ed. acad.: „τῶν δὲ πρακτῶν ἡ εὐδαιμονία, περὶ ἧς νῦν ἡ σκέψις.“

Quae cum ita sint, voce ἥν ante ἐγώ in ἧς mutata[1]) lacunam statuo, quam coll. p. 42, 10 sic expleo:

„... διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου, ἧς ἐγὼ προχειριοῦμαι ⟨τὸ τῆς ἠθικῆς οἰκεῖον⟩, περὶ ἧς (sc. τῆς ἠθικῆς) ὁ λόγος.“

5) p. 43, 1 sqq. vide p. 27 sqq. et 30[1].
6) p. 44, 4 et 18 vide p. 27[1].
7) p. 47, 7 vide p. 16 sq.
8) p. 47, 10 sq. vide p. 16.
9) p. 48, 9.

Libri: Κἂν λέγῃ δέ τις μακαριότητα καὶ τὸ μακαρίως ζῆν, εἰς ταὐτὸ συνδραμεῖται τοῖς τελικοῖς.

Verba τοῖς τελικοῖς manifesto sunt corrupta. Etenim voce τελικόν non nisi id significatur, quod ad finem pertinet. Hic contra propter ista κἂν λέγῃ δέ τις μακαριότητα κτλ. hominum mentionem, non rerum desiderari in aperto est. Qua de causa coniecturam fecit Usenerus hac ratione orationem refingens: „Κἂν λέγῃ δέ τις μακαριότητα καὶ τὸ μακαρίως ζῆν, εἰς ταὐτὸ συνδραμεῖται. Ποῖα δὲ τέλη, προσδιαιρετέον. Οὐκοῦν τῶν περὶ τέλος διαλεχθέντων . . .“

Haec nullo modo possunt probari. Nullam fere vocem immutatam reliquit et, quae, quamvis ieiune dicantur, attingenda non sunt, attigit verba προσδιαιρετέον οὖν. Nec magis mihi probatur, quod ab Apelto inventum Dielesius mecum communicavit „τοῖς λεκτικοῖς“ (pro „τοῖς τελικοῖς“). Propius ad verum accessisse videtur Wachsmuthius, qui τοῖς λοιποῖς pro τοῖς τελικοῖς coniecit. Sed quoniam inter se opponuntur ii, qui beatitudinem τέλος dicunt et qui μακαριότητα [cf. p. 48, 6], non neglegenda esse existimo,

---

1) ἧς propter hiantem orationem, ut sensus efficeretur, facile in ἥν mutari potuit.

quae in voce τελικοῖς vocabuli τέλος apparent vestigia, et scribendum esse suspicor τοῖς τέλος λέγουσιν („iis, qui τέλος dicunt"). Cf. etiam supra p. 9.

10) p. 48, 19 sqq. vide p. 6[1] (Diels) et 7 sq.

11) p. 49, 16 vide p. 10[1].

12) p. 50, 11 sq.

„Ἀριστοτέλης χρῆσιν ἀρετῆς τελείας ἐν προηγουμένοις (sc. τὸ τέλος ἀπεφήνατο)."

Wachsmuthius editor, cum, quid sibi vellent προηγούμενα ista, nescius esset, orationem corruptam esse ratus sic refinxit: χρῆσιν ἀρετῆς τελείας ἐν ⟨βίῳ τελείῳ⟩ χορηγουμένην aut χρῆσιν ἀρετῆς εὖ χορηγουμένην. Etiam de ἐν προηγουμένοις ⟨κατὰ φύσιν⟩, quamquam hoc minus placeat, cogitari posse non negat. Cuius editio antequam in publicum prodiit, scripsit Hirzelius Quaestionum Tullianarum volumen II. [Unters. II], in quo (excursu V.) accuratius de vocis προηγούμενος vi ac significatione quaesivit. Hic etsi reliquis Arii locis illam vocem explicandam, non mutandam esse recte statuit [cf. etiam Bonhoeffer „Die Ethik d. Stoikers Epictet" index s. v. προηγούμενον p. 263], ita ut de hac re exponere supersedeam, hoc quidem loco ad coniecturam nescio quo pacto confugit, cum p. 811[1] scribi iubet χρῆσιν ἀρετῆς τελείας ἐν ⟨βίῳ τελείῳ⟩ προηγουμένην, iis quae p. 51, 8—12 leguntur deletis.

Sed definitionem, quae codicibus circumfertur, veram esse demonstrari potest.

Paene eadem enim legitur apud Aspasium, cuius in ethica Nicomachea commentarius post Wachsmuthii et Hirzelii illas curas publici iuris est factus. Ipsos locos proferre placet:

p. 22, 22 Heylbut. „Εἰ γὰρ καὶ μὴ πρόκειται, ὅτι ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία ἐνέργεια κατ' ἀρετὴν τελείαν μεθ' ἡδονῆς ἢ οὐκ ἄνευ ἡδονῆς, ἀλλὰ δῆλόν γέ ἐστι, ὅτι πάντως συνέπεται ταῖς καλαῖς ἐνεργείαις ἡ ἡδονή. διό φησι τὸν βίον τῶν ἐνεργειῶν κατ' ἀρετὴν ἐν προηγουμένοις εἶναι καθ' αὑτὸν ἡδύν." Cum his cohaerent haec p. 22, 29 sqq.: „Εἰ μὲν οὖν μὴ ἐν αὐταῖς ταῖς ἐνεργείαις ἐνῆν [ἂν] τὸ ἡδύ, ἀλλ' ἔξωθεν

ἔδει αὐτὸ τὸν μέλλοντα εὐδαιμονήσειν πορίζεσθαι, ἐχρῆν ἐν τῷ ὁρισμῷ προστιθέναι, ὅτι ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία ψυχῆς ἐνέργεια κατ᾽ ἀρετὴν μεθ᾽ ἡδονῆς ἢ οὐκ ἄνευ ἡδονῆς προσθέτου αὐταῖς οὔσης τῆς ἐνεργείας· ἐπεὶ δὲ ἐν αὐταῖς ἐστι ταῖς καλαῖς ἐνεργείαις τὸ ἡδὺ ἀποχρώντως, δεδήλωκεν, ὅτι ἥδιστός ἐστιν βίος ἡ εὐδαιμονία εἰπὼν ἐνέργειαν αὐτὴν κατ᾽ ἀρετήν· δεῖ δὲ πανταχοῦ προσυπακούειν ἐν προηγουμένοις. καὶ γὰρ τοῖς πολλοῖς ἀνθρώποις, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὰ ἡδέα μάχεται διὰ τὸ μὴ φύσει εἶναι ἡδέα.“ Porro p. 24, 24 sqq. legis haec: „Τὰ δὲ ἐφεξῆς δοκεῖ τισι μαλακωτέρως εἰρῆσθαι. Φησὶ γὰρ ἐνίων στερουμένους ῥυπαίνειν τὸ μακάριον οἷον εὐγενείας, εὐτεκνίας, κάλλους. Φαῖεν γὰρ ἄν τινες καὶ δυσγενῆ ὄντα καὶ μὴ καλὸν καὶ ἄτεκνον ἐνεργεῖν ἐν προηγουμένοις ἐνδέχεσθαι, ἐνεργοῦντα δὲ εὐδαιμονεῖν ἀνάγκη.“ Addo haec p. 112, 16 sqq.: "Ἂν δ᾽ ἄμφω αὐτῷ ὑπάρχῃ, ἀρετὴ καὶ τὰ ἐκτὸς εὐτυχήματα, ἴσως μᾶλλον δόξει τιμητὸς εἶναι τοῖς πολλοῖς, κατ᾽ ἀλήθειαν δὲ μᾶλλον αὐτός ἐστιν, εἰ καὶ διὰ τὴν εὐτυχίαν ἀκωλύτως ἐνεργοίη κατὰ τὴν ἀρετὴν ἐν προηγουμένοις.“ Haud secus p. 153, 28: „Δεῖ δὲ λαβεῖν τὰς ἐνεργείας εἶναι ἡδέας, ὅταν ἐν προηγουμένοις ὦσιν.“ Ad extremum cito p. 151, 10: „Εἰ γὰρ ἑκάστης ἕξεώς εἰσί τινες ἐνέργειαι ἀνεμπόδιστοι οἷον αἱ τῶν ἀρίστων, ὅταν ἐν προηγουμένοις καὶ αἱρετοῖς γίνωνται μηδενὸς ἐμποδίζοντος.“

Ex hoc ultimo loco luculenter apparet voce προηγουμένων simile aliquid significari atque αἱρετῶν notione. Et dicit Proclus in rempubl. I p. 227 Kroll. προηγούμενα ἀγαθά. Iam vero vox προηγούμενος, quoniam relativa est [cf. Hirzel p. 815 sqq.; Bonhoeffer „Epictet u. d. St.“ p. 38 sqq.; Dyroff „Ethik d. a. Stoa“ p. 141; cf. etiam Aspasius in eth. Nic. 52, 32; 97, 27; — Stob. ecl. II 144, 19; Albinus p. 153 (1;) 7; 183, 33 sq. (cap. 30.); Proclus in rempubl. I 8, 21; I 13, 21], ita ad bona vel expetenda relata esse videtur, ut internosceretur bonorum praestantior species προηγουμένων et altera deteriorum. Quod munitur loco Stobaei h. e. Antiochi hoc: p. 53, 16 sqq. „Πλάτων ἐν μὲν τῇ εὐλογιστίᾳ τίθεται τὸ προηγούμενον ἀγαθὸν καὶ δι᾽ αὑτὸ αἱρετόν, ἐν δὲ τῇ ἡδονῇ τὸ ἐπιγεννηματικόν.“ Quo de recte

iudicavit Hirzelius p. 816. his verbis usus: „Das προηγούμενον ἀγαθὸν wird hier als ein Gut, welches diese Eigenschaft durch sich selber, seiner eigenen Natur nach besitzt, dem ἐπιγεννηματικόν, welches ein Gut ist nur mit Bezug auf ein anderes, zu dem es gehört, entgegen- und dem δι' αὑτὸ αἱρετὸν gleichgestellt". Cf. Bonhoeffer „Ep. und d. Stoa" p. 295. Haec optime firmantur et ultra omnem dubitandi aleam ponuntur loco Simplicii in phys. I 91 p. 249, 19 sqq. Diels: „Ἔσχατα δέ ἐστιν ἀγαθά, οὐχὶ τὰ κακά, ἀλλὰ τὰ ἀναγκαῖα ὑπὸ τῶν φιλοσόφων καλούμενα, ἅπερ προηγουμένως μὲν οὐκ ἔστιν ἐφετά, διά τι δὲ ἀγαθὸν ὑπέστη, ὅπερ οὐκ ἂν ἐγένετο χωρὶς ἐκείνου, ὡς τὸ φλεβοτόμον καὶ ἡ καῦσις ἡ ἰατρική. τὰ γὰρ τοιαῦτα οὔτε προηγούμενά ἐστιν ἀγαθά (οὐδεὶς γὰρ ἂν αὐτὰ καθ' αὑτὰ ἕλοιτο ταῦτα) οὔτε μέντοι κακὰ διὰ τὴν ὑγίειαν ἀγαθὸν οὖσαν παραλαμβανόμενα καὶ τοιαύτην τοῖς τοιούτοις ἀγαθοῖς παρεχόμενα χρείαν, ὡς μηδὲ ὑποστῆναι δύνασθαι τούτων χωρίς".

Hic subsistamus. Demonstravi προηγουμένων notionem ad ea spectare bona, quae per se expetenda sunt („wesentliche Güter")[1]), et recte finem χρῆσιν ἀρετῆς τελείας ἐν προηγουμένοις intellegi. Huc quoniam quae p. 51, 13—15 legitur interpretatio pertinere nequit, cadit alterum, quod Hirzelius statuit ea, quae p. 51, 8—12 exhibentur, aliunde inserta nec ex Arii epitoma hausta esse. [Cf. Hirzel p. 745, quo p. 813 (adn. ad p. 811) extrem. remittit; quae p. 745. contra Dielesium dicit, nolo hic accuratius examinare; refutantur tamen, si quid video, quodammodo iis, quae supra exposui.]

13) p. 52, 1 sqq.

„Καλὸν μὲν οὖν ἐστιν ἀρετὴ καὶ τὸ μέτοχον τῆς ἀρετῆς, ὥσπερ αὐτὸς ὁ σπουδαῖος, καὶ τὸ ἀπ' ἀρετῆς ἔργον· ὡς τὸ

1) Hirzelius quod Unt. II p. 821. miratur ipsas virtutes, quae maxime hoc nomine dignae sint, in προηγουμένων numero non conspici, velim attendas simili ratione τὰ κατὰ φύσιν saepius [velut Stob. ecl. II p. 144, 22] ita poni, ut ipsa virtus excludatur. Cf. quae exp. supra p. 11.

ἀγαθὸν τὸ καλὸν, καθ' ὃ ἐπαινετὸν ἤτοι παρέχον ἐπαινετούς.“ Articulum ante vocem καλόν recte delevit Rassovius; sed quod rescripsit Wachsmuthius καί pro ὡς, vix verum. Sententia enim ὡς (nam) τὸ ἀγαθὸν [τὸ] καλὸν sqq. ratio additur, cur virtus et quod eius particeps est et τὸ ἀπ' ἀρετῆς ἔργον (quae ἐπαινετά vel παρέχοντα ἐπαινετοὺς sunt) honestis adnumerentur. Cf. de fin. III 8, 27: „Nam quod laudabile sit, honestum esse conceditur“.

14) p. 52, 5 sq. vide p. 11 sq. et p. 13.

15) p. 53, 7 sqq.

Locus citatur Platonis (Legg. I p. 636 D): „Δύο γὰρ αὗται φύσει πηγαὶ μεθεῖνται ῥεῖν (ἡδονὴ καὶ λύπη), ὧν ὁ μὲν ἀρυτό⟨μενος ὅθεν τε δεῖ καὶ ὅπῃ καὶ ὅπως εὐ⟩δαιμονεῖ, ὁ δὲ μή, τοὐναντίον“. Ἐν μὲν τοίνυν τῷ τὴν ἡδονὴν καὶ τὴν λύπην ὀνομάσαι τὴν ἀπὸ τῶν παθῶν συνίστησι τῆς εὐδαιμονίας ἀρχήν.

Tota argumentatio in eo vertitur, quod animi affectiones, quae principia esse feruntur beatitudinis, cum fontibus comparantur. Itaque in interpretatione efferenda erat vox πηγάς, quae tamen desideratur. Oratio igitur sic restituenda est:

„Ἐν μὲν τοίνυν τῷ τὴν ἡδονὴν καὶ τὴν λύπην ὀνομάσαι ⟨πηγὰς⟩ τὴν ἀπὸ τῶν παθῶν συνίστησι τῆς εὐδαιμονίας ἀρχήν“.

16) p. 53, 22 sqq.

„Ἀγαθόν ἐστιν ἀφ' οὗ συμβαίνει τὸ ὠφελεῖσθαι . . . καὶ ὃ ἤτοι κατὰ φύσιν ἐστίν, ἢ ποιητικὸν τοῦ κατὰ φύσιν, καὶ τὸ ὀρεκτικὸν κατὰ φύσιν καὶ τὸ κινητικὸν τῆς κατὰ φύσιν ἐχούσης ὀρέξεως.“

Pro vocula καί ante τὸ κινητικόν Meinekeus ἤ rescripsit, recte mea quidem sententia. Membrum enim κινητικὸν τῆς κατὰ φύσιν ἐχούσης ὀρέξεως respondet ei, quod praecedit p. 53, 24 ποιητικὸν τοῦ κατὰ φύσιν, quod vocula ἤ annectitur. Haud secus legitur infra p. 54, 2 sqq. καὶ καθ' ὃ ἕκαστον εὖ ἔχει ὅσον ἐπὶ τῇ ἐκείνου παρουσίᾳ, ἢ ποιητικόν ἐστι τοῦ τοιούτου· καὶ ὃ ἤτοι δι' αὑτό ἐστιν αἱρετόν, ἢ τοῦ ⟨δι' αὑτὸ⟩ αἱρετοῦ ποιητικόν [verba ⟨δι' αὑτὸ⟩ propter ea, quae

praecedunt, cum Meinekeo addere debuit Wachsmuthius]· καὶ ὃ ἤτοι εὐδαιμονία ἐστίν, ἢ συμβαλλόμενον πρὸς εὐδαιμονίαν".

De voce κινητικόν vide Simplic. in phys. p. 312, 20 sqq.: „Εἰ γὰρ τὸ πρῶτον καταβληθὲν αὐτὸ μὲν ἐποίησε τοῦτο, οὗ ἐστιν αὐτὸ ποιητικόν, τὸ δὲ ἐκ τούτου γενόμενον ἄλλο, καὶ ἕκαστον τοῦ μεθ' ἑαυτὸν ποιητικόν ἐστι καὶ κινητικὸν μέχρι τοῦ τέλους καὶ τοῦ εἴδους τοῦ φυσικοῦ sqq.".

Ceterum apparet verba καὶ τὸ ὀρεκτικὸν κατὰ φύσιν manca esse et secundum Graeci sermonis usum sic fere supplenda:

καὶ τὸ ὀρεκτικὸν κατὰ φύσιν ⟨ὄν⟩, vel ⟨ἔχον⟩[1]. Cf. infra „τῆς κατὰ φύσιν ἐχούσης ὀρέξεως".

17) p. 55, 11 sqq.

Τῶν γὰρ ἀγαθῶν τὰς μὲν περὶ ψυχήν, τὰς δὲ περὶ σῶμα, τὰς δ' ἐν τοῖς ἐκτὸς ἀρετὰς εἴποις ἂν καὶ εὐπορίας καὶ εὐεξίας.

Orationem, quam non recte procedere manifestum est, sic refinxit Heerenius:

Τῶν γὰρ ἀγαθῶν τὰ μὲν π. ψ., τὰ δὲ περὶ σῶμα, τὰ δ' ἐν τοῖς ἐκτός ⟨,ἃ⟩ ἀρετὰς εἴποις ἂν καὶ εὐπορίας καὶ εὐεξίας; quem sequitur Henseus deletis tamen verbis ἀρετὰς εἴποις ἂν καὶ εὐπορίας καὶ εὐεξίας. Horum uterque prorsus erravit. Etenim animi virtutes et corporis et eae, quae in externis cernuntur, recte dicuntur. Cf. supra p. 55, 7 sqq.: „τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν θεῖα, τὰ δὲ ἀνθρώπινα· θεῖα μὲν τὰς περὶ τὴν ψυχὴν ἀρετὰς λέγων, ἀνθρώπινα δὲ τὰς περὶ τὸ σωματικὸν μέρος εὐεξίας καὶ τὰς ἀπὸ τῶν ἐκτὸς λεγομένων εὐπορίας." p. 125, 14 sq. „Δῆλον οὖν, ὅτι τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν καὶ τῶν ἐκτὸς αἱ τῆς ψυχῆς ὑπάρχουσιν αἱρετώτεραι".

Cf. 122, 19; 123, 24 sq.; 124, 18 sqq.

Vix vero intellegi potest, quod illorum coniectura efficitur „τὰ δ' ἐν τοῖς ἐκτός". Cf. veluti 125, 11 sq. „τά τε περὶ ⟨τὴν⟩ ψυχὴν καὶ τὰ περὶ σῶμα καὶ τὰ ἐκτός". 136, 9 sq.

Facile autem sic locus emendatur: Τῶν γὰρ ἀγαθῶν τὰς μὲν περὶ ψυχήν, τάς δὲ περὶ σῶμα, τὰς δ' ἐν τοῖς ἐκτὸς

---

1) Nisi propter palaeographiam mavis: τὸ ὀρεκτικὸν <ὂν> [vel <ἔχον>] κατὰ φ.

ἀρετάς ⟨,ἃς⟩ εἴποις ἂν καὶ εὐεξίας καὶ εὐπορίας. Cf. p. 55, 10. Ultima εὐεξίας καὶ εὐπορίας Meinekeus effecit e codicum εὐπορίας καὶ εὐεξίας. Tamen nescio an librorum scriptura tenenda sit et scriptoris neglegentiae danda.

18) p. 56, 2 sqq. vide p. 21 sq.
19) p. 56, 13 sq. vide p. 11 sq.
20) p. 56, 16 vide p. 20.
21) p. 58, 15 sqq.
Ἀφροσύνην μὲν οὖν καὶ ἀδικίαν καὶ δειλίαν καὶ μικροψυχίαν καὶ ἀδυναμίαν κακίας εἶναι . . . Ἀφροσύνην μὲν οὖν καὶ ἀκολασίαν καὶ ἀδικίαν καὶ δειλίαν ἀγνοίας εἶναι τινῶν καὶ ἀτεχνίας· μικροψυχίαν δὲ καὶ ἀδυναμίαν οὔτε ἀγνοίας τινῶν οὔτε ἀτεχνίας.

Horum priora Wachsmuthius secundum libros proponit, ad posteriora Meinekeum secutus collatis, quae p. 58, 7 leguntur, verba ⟨καὶ ἀσθένειαν⟩ addidit. Haec ratio mihi nequaquam arridet. Atque ut, quid faciendum sit, cognoscas, conferas haec tria:

58, 6 sqq.	58, 15.	58, 19 sqq.
Φρόνησιν μὲν οὖν καὶ σωφροσύνην ⟨καὶ δικαιοσύνην⟩ καὶ ἀνδρείαν ⟨καὶ μεγαλοψυχίαν καὶ ῥώμην καὶ ἰσχὺν ψυχῆς⟩ ἀρετάς[1].	Ἀφροσύνην μὲν οὖν καὶ ἀδικίαν καὶ δειλίαν καὶ μικροψυχίαν καὶ ἀδυναμίαν κακίας εἶναι.	Ἀφροσύνην μὲν οὖν καὶ ἀκολασίαν καὶ ἀδικίαν καὶ δειλίαν ἀγνοίας εἶναι τινῶν κ. ἀτεχ.· μικροψυχίαν δὲ καὶ ἀδυναμίαν οὔτε α. οὔτε ατ.

Hinc id praecipue cognoscitur vocem ἀδυναμίαν intellegi non posse nisi addito vocabulo ψυχῆς; orationem autem, quae circumfertur a libris, quos qui scripserunt, quam multum peccaverint in vocabulis omittendis, vel e p. 58, 16, ubi a cod. P. verba καὶ δειλίαν oppressa sunt, apparet, hac ratione ab Ario formatam fuisse putaverim: Ἀφροσύνην μὲν οὖν καὶ ⟨ἀκολασίαν καὶ⟩ ἀδικίαν καὶ δειλίαν

1) Quae uncis inclusi, ea Meinekeus et Wachsmuthius e vv. 11—14 suppleverunt.

καὶ μικροψυχίαν καὶ ἀδυναμίαν ⟨καὶ ἀσθένειαν ψυχῆς⟩ κακίας εἶναι. De voce ἀσθένεια cf. p. 123, 15.

Deinceps: Ἀφροσύνην μὲν οὖν καὶ ἀκολασίαν καὶ ἀδικίαν καὶ δειλίαν ἀγνοίας εἶναι τινῶν καὶ ἀτεχνίας· μικροψυχίαν δὲ καὶ ἀδυναμίαν ⟨καὶ ἀσθένειαν ψυχῆς⟩ οὔτε ἀγνοίας οὔτε ἀτεχνίας.

22) p. 62, 7 sq.

Πασῶν δὲ τούτων τῶν ἀρετῶν τὸ τέλος εἶναι τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν.

Usenerus voculam τό ante τέλος deleri voluit, sed recte tenuit editor. Cf. Albinus ap. Herm. vol. VI p. 181 extr.: Ἀκόλουθον οὖν τῇ ἀρχῇ τ ὸ τέλος εἴη ἂν τὸ ἐξομοιωθῆναι θεῷ.

23) p. 71, 3 sqq.

Οὔτε δὲ ἕξεις οὔτε διαθέσεις τὰς κατ' ἀρετὰς ἐνεργείας, οἷον φρονίμευμα καὶ τὴν τῆς σωφροσύνης κτῆσιν.

Vocem κτῆσιν corruptam esse vidit Heinius progr. Hirschb. 1869 p. 6, qui χρῆσιν coniecit. Sed mavult Wachsmuthius ἄσκησιν, vix recte. Semper enim χρῆσις ad ἐνέργειαν refertur veluti p. 77, 7 sq.: Καὶ ἀναγκαῖα μὲν τάς τε ἀρετὰς πάσας καὶ τὰς ἐ ν ε ρ γ ε ί α ς τὰς χ ρ η σ τ ι κ ὰ ς αὐτῶν; vel p. 50, 12 sqq. Ἡ μὲν οὖν χ ρ ῆ σ ί ς ἐστι πλέον τῆς κτήσεως· ἐ ν έ ρ γ ε ι α ν γὰρ εἶναι βούλεται τὴν εὐδαιμονίαν sqq. Cf. p. 46, 14 sqq.; 57, 1 sqq.

24) p. 73, 1 sqq.

Ἔτι δὲ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι ἐν κινήσει, τὰ δὲ ἐν σχέσει . . . ἐν σχέσει δὲ τὰ τοιαῦτα, εὔτακτον ἡσυχίαν, μονὴν ἀτάραχον, προσοχὴν ἔπανδρον.

Vocabulum προσοχήν vix sanum esse putat Wachsmuthius. Sed, quid valeat, loco Gelliano demonstratur, ubi Panaetii Stoici haec leguntur verba XIII 28 (27): „Vita, inquit, hominum, qui aetatem in medio rerum agunt ac sibi suisque esse usui volunt, negotia periculaque ex improviso adsidua et prope cotidiana fert. Ad ea cavenda atque declinanda perinde esse oportet a n i m o p r o m p t o s e m p e r a t q u e i n t e n t o, ut sunt athle-

tarum, qui pancratiastae vocantur. Nam sicut illi ad certandum vocati proiectis alte brachiis consistunt caputque et os suum manibus oppositis quasi vallo praemuniunt, membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est aut ad vitandos ictus cauta sunt aut ad faciendos parata, ita animus atque mens viri prudentis, adversus vim et petulantiam iniuriarum omni in loco atque in tempore prospiciens, esse debet erecta, ardua, saepta solide, expedita, iam sollicitis numquam conivens, nusquam aciem suam flectens, consilia cogitationesque contra fortunae verbera contraque insidias iniquorum quasi brachia et manus protendens, ne qua in re adversa et [in] repentina incursio inparatis inprotectisque nobis oboriatur". His quin προσοχή ἔπανδρος describatur, nullus dubito. Cf. etiam Cic. Tusc. IV 17, 37 extr. „Nam quid aut in tam exigua brevitate vitae magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, ut ei nihil inprovisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum?" Marc. Anton. comment. XI 16 p. 149, 11 Stich.

25) p. 79, 2 vide p. 80 sq.

26) p. 117, 15 sqq.

Τοῦ δὲ λογικοῦ τὸ μὲν περὶ τὰ ἀΐδια καὶ τὰ θεῖα θεωρητικὸν ἐπιστημονικὸν καλεῖσθαι, τὸ δὲ περὶ τὰ ἀνθρώπινα καὶ τὰ πρακτικὰ βουλευτικόν.

Pro inepto πρακτικά Spengelius Monac. doct. nunt. p. 251. rescripsit περὶ τὰ ⟨φθαρτὰ⟩ πρακτικόν hisce verbis usus: „... da Gegensatz von θεῖα und ἀνθρώπινα ist, so war sicher ein entsprechender zu ἀΐδια, der des vergänglichen, der ausgefallen ist, wodurch nun θεωρητικὸν auch unten das erforderliche Wort findet (πρακτικόν)". At primum, quod dicit desiderari notionem, quae vocabulo θεωρητικόν respondeat, eum erravisse docemur loco ipsius Aristotelis: Eth. Nic. VI 2 p. 1139ᵃ, 6 sqq.: Καὶ ὑποκείσθω δύο λόγον ἔχοντα, ἓν μὲν ᾧ θεωροῦμεν τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων, ὅσων αἱ ἀρχαὶ μὴ ἐνδέχονται ἄλλως ἔχειν, ἓν δὲ ᾧ (θεωροῦμεν) τὰ ἐνδεχόμενα.

Dein non opus esse voce φθαρτά discimus ex Aristotelis hisce locis: Eth. Nic. III 5 p. 1112[a], 21 sqq. Περὶ δὲ τῶν αἰδίων οὐδεὶς βουλεύεται ... ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν ἐν κινήσει, ἀεὶ δὲ κατὰ ταὐτὰ γινομένων ... ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν ἀνθρωπικῶν πάντων ... βουλευόμεθα δὲ περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν καὶ πρακτῶν. Hic notioni ἀϊδίων non opponuntur φθαρτά, sed τὰ ἐφ' ἡμῖν καὶ πρακτά. Similiter p. 1141[b], 8 inter se coniunguntur haec: περὶ τὰ ἀνθρώπινα καὶ περὶ ὧν ἐστιν βουλεύσασθαι (h. s. τὰ πρακτά). Quae cum ita sint leniore mutatione usus eaque usitata [Stob. p. 139, 19; Eth. Magn. 1189[b], 13], quam Spengelius repudiavit, scribo περὶ τὰ ἀνθρώπινα καὶ τὰ πρακτὰ βουλευτικόν.

27) p. 118, 2 sqq. vide p. 32 sq.
28) p. 121, 8 sq. vide p. 34 sq.
29) p. 122, 16 sqq.

Ἢ πῶς ὁ μὲν πλησίον ἄνθρωπος δι' αὑτόν ἐστιν αἱρετός, οὐχὶ δὲ καὶ ἕκαστος ἡμῶν αὑτῷ δι' αὑτὸν αἱρετός; Ἢ πῶς τοῦτο μέν, οὐχὶ δὲ καὶ τὰ μέρη τὰ τοῦ σώματος καὶ αἱ τῶν μερῶν ἀρεταὶ καὶ αἱ τοῦ ὅλου σώματος ἂν εἶεν αἱρεταί;

Ex tota argumentatione, quae inde a p. 118, 5 usque ad p. 125, 13 deducitur, scribendum esse apparet „καὶ αἱ τοῦ ὅλου σώματος ⟨δι' αὑτὰς⟩ ἂν εἶεν αἱρεταί".

30) p. 124, 18 sqq.

Τὸν παραπλήσιον δ' εἶναι λόγον καὶ ἐπὶ τῶν ἀρετῶν, διὰ τὸ δοκεῖν τὰ τρία γένη τῶν ἀγαθῶν ἐκ πλείστης διαφορᾶς τῆς ἐν ἀλλήλοις ὅμως ἔχειν τινὰ πρὸς τὸν λόγον ἀναλογίαν.

Verba πρὸς τὸν λόγον ut supervacanea delevit Spengelius, non probabiliter. Usenerus, num πρὸς τὸ ὅλον reponendum esset, dubitavit; sed expectes potius πρὸς ἄλληλα (cf. v. 16. ἀναλογίαν πρὸς ἄλληλα et v. 20. ἐκ πλείστης διαφορᾶς τῆς ἐν ἀλλήλοις), quae notio illi opponitur Stob. ecl. II. p. 63, 1 sqq. Ὥσπερ τε τὸ κάλλος τοῦ σώματός ἐστι συμμετρία τῶν μελῶν καθεστώτων αὐτῷ πρὸς ἄλληλά τε καὶ πρὸς τὸ ὅλον, οὕτω καὶ τὸ τῆς ψυχῆς κάλλος ἐστὶ συμμετρία τοῦ λόγου καὶ τῶν μερῶν αὐτοῦ πρὸς ⟨τὸ⟩ ὅλον τε αὐτῆς καὶ πρὸς ἄλληλα.

Nec vero illud πρὸς τὸν λόγον frustra additum esse videtur; opponuntur enim a Galeno de pl. Hipp. et Pl. p. 415, 10 Muell., ubi eadem res tractatur, λόγος et ὄνομα: καὶ γὰρ τοὔνομα καὶ τὸν λόγον αὐτῶν βούλεται (Chrysippus) εἶναι τὸν αὐτόν, εἴ γε δὴ συνώνυμά φησιν ὑπάρχειν αὐτά. Cf. ibid. p. 414: Ὅτι μὲν οὖν ἀναλογίαν τινὰ βούλονται εἶναι τῶν ἐν τῇ ψυχῇ τοῖς κατὰ τὸ σῶμα, δῆλον οἶμαι γεγονέναι· καθάπερ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ σώματος θεωρεῖται ἰσχύς τε καὶ ἀσθένεια, εὐτονία καὶ ἀτονία, πρὸς δὲ τούτοις ὑγίεια τε καὶ νόσος, εὐεξία τε καὶ καχεξία, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἀνάλογά τινα πᾶσι τούτοις καὶ ἐν ψυχῇ λογικῇ συνίσταταί τε καὶ ὀνομάζεται.

Atque verba πρὸς τὸν λόγον eo magis debuit addere Antiochus, quod inter animi virtutes et corporis interiorem similitudinem intercedere Posidonius negabat; quo de cf. Galen. l. c. p. 417, 18 sqq. Cic. Tuscul. IV 10, 23: „Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo. Qua oratione praetermissa minime necessaria ea, quae rem continent, pertractemus". Ibidem 12, 27. „Atque ut ad valetudinis similitudinem veniamus eaque conlatione utamur aliquando, sed parcius, quam solent Stoici".

31) p. 125, 10 sqq.

Ὥστε τρία γένη τῶν ἀγαθῶν δι' αὑθ' αἱρετὰ ὑπάρχειν, τά τε περὶ ⟨τὴν⟩ ψυχὴν καὶ τὰ περὶ τὸ σῶμα καὶ τὰ ἐκτός.

Quod desideravit Hirzelius p. 706 [1] ὥστε ⟨τὰ⟩ τρία γένη, probari non potest. Etenim Antiochus etiam, quae propter aliud expetenda sunt, bonis adnumeravit, Aristotelem secutus; cf. p. 56, 9 sq.: ἔτι τῶν ἀγαθῶν τὰ μέν ἐστι δι' ἑαυτὰ αἱρετά, τὰ δὲ δι' ἕτερα. Cf. p. 129, 4.

32) p. 125, 14 sqq.

Δῆλον οὖν, ὅτι τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν καὶ τῶν ἐκτὸς αἱ τῆς ψυχῆς ὑπάρχουσιν αἱρετώτεραι, ὑπεροχὴν ὁμοίως φερόμεναι.

Pro voce ὁμοίως, quam corruptam esse cum per se

patet tum inde, quod Antiochus externa bona plus distare ab animi putavit quam corporis [Stob. 122, 7—10; de fin. V 23, 68], concluditur, ἡγεμονίας scribendum esse coniecit Usenerus. Sed Wachsmuthii ὁμολογουμένως et lenius est et defenditur loco Aspasii in eth. Nic. p. 21, 27 sqq. ed. ac.: Τριχῇ γὰρ διοριζομένων τῶν ἀγαθῶν, τῶν μὲν περὶ ψυχήν, τῶν δὲ περὶ σῶμα, τῶν δὲ ἐκτός, τὰ περὶ ψυχὴν μάλιστα ἀγαθὰ καὶ κυριώτατα ἀγαθὰ πάντες ὁμολογήσουσιν.

33) p. 126, 5 sqq. vide p. 36 sqq.

34) p. 129, 12 sqq.

Ἀναγκαῖα δὲ τό τε ζῆν καὶ τὰ πρὸς τοῦτο συντείνοντα καὶ τὴν τῶν ποιητικῶν ἔχοντα χώραν, οἷον τό τε σῶμα καὶ τὰ τούτου μέρη καὶ τὰς αὐτῶν καὶ τὰς χρήσεις.

Ultima Spengelius corrigebat in καὶ τὰς αὐτῶν [καὶ τὰς] χρήσεις, Wachsmuthius in καὶ τὰς χρήσεις αὐτῶν. Sed cum hanc sectionem Antiocho deberi demonstraverim p. 46, ex Antiochiis, quae p. 119, 20 sqq. leguntur „φίλον γὰρ εἶναι ἡμῖν τὸ σῶμα, φίλην δὲ τὴν ψυχήν, φίλα δὲ τὰ τούτων μέρη καὶ τὰς δυνάμεις καὶ τὰς ἐνεργείας, oratio sic supplenda videtur esse: καὶ τὰ τούτου μέρη καὶ τὰς ⟨δυνάμεις⟩ αὐτῶν καὶ τὰς χρήσεις.

35) p. 130, 4 sqq.

Ἐπεὶ δ' ὁ πράττων συγχρῆταί τισι πρὸς τὴν τελείωσιν τῆς προθέσεως, μέρη ταῦτα οὐ χρὴ νομίζειν τῆς ἐνεργείας, καίτοι γε ἐπιζητούσης ἑκατέρας τῶν εἰρημένων ἑκάτερον, οὐ μὴν ὡς μέρος οὐδὲ ποιητικὸν τῆς τέχνης.

Primum quidem quod Wachsmuthius orationi post εἰρημένων inculcavit ⟨τεχνῶν⟩ superfluum est; immo audias vocem ἐνεργειῶν e versu 6. Neque enim utrum ἐνέργεια dicatur an τέχνη quicquam interest. Cf. haec duo:

130, 7 sq.	138, 8 sq.
οὐ μὴν ὡς μέρος, ὡς δὲ (sic flor.) ποιητικὸν τῆς τέχνης.	Τὰ γάρ, ὧν ἄνευ πράττειν ὁτιοῦν ἀδύνατον, μέρη τῆς ἐνεργείας λέγειν οὐκ ὀρθόν.

Porro vox ἑκάτερον quemadmodum accipienda esset,

viri docti intellexisse non videntur. „Was darunter zu verstehen sei“, inquit Hirzel [p. 700 adn. ad p. 699], „ist im Excerpt nicht gesagt, ergab sich aber im Original ohne Zweifel aus dem Zusammenhang“. Ad coniecturam autem confugit Usenerus, qui proponebat ἑκάτερον, τὸ μὲν ὡς μέρος, τὸ δ' ὡς ποιητικὸν τῆς τέχνης. Sed hic facile refutatur loco Aspasii in eth. Nic. p. 24, 3 sqq. Δεῖται δὲ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν ἡ εὐδαιμονία οὐχ ὡς μερῶν οὐδ' ὡς ἀναπληρωτικῶν αὐτῆς, ἀλλ' ὡς ὀργάνων κτλ.

Sed, quid sententia desideret, quaeramus. Comparatur beatitudo cum artibus, quarum duas exempli gratia Arius affert tibicinis (p. 129, 21) et medici (p. 130, 2); ad has quibus opus est instrumentis, ea (sunt autem tibiae et medici instrumenta) conferuntur cum corporis bonis et externis et non partes, sed efficientia artis esse dicuntur. Iam in verbis καίτοι γε ἐπιζητούσης ἑκατέρας τῶν εἰρημένων ἑκάτερον haec insit sententia necesse est: „. . . quamquam tibicinis ars desiderat tibias, medici instrumenta ἰατρικά“ [cf. p. 129, 21 „ἐν αὐλοῖς“; p. 130, 2 sq. „τὴν τῶν ὀργάνων χρῆσιν“; vocem ἑκατέρας recte ad tibicinis et medici artem rettulit Hirzelius p. 700 adn.]. Hic autem sensus inest in iis, quae in libris leguntur. Etenim de usu vocis ἑκάτερος comparari licet Alex. Aphrod. in metaph. p. 60, 11 sqq., ubi duae exhibentur συζυγίαι hae: Ἔτι τε καὶ τὴν τοῦ εὖ καὶ τὴν τοῦ κακῶς αἰτίαν τοῖς στοιχείοις ἀπέδωκεν ἑκατέροις ἑκατέραν· τὴν μὲν τοῦ εὖ τῷ ἑνὶ . . . τὴν δὲ τοῦ καλῶς τῇ ἀορίστῳ δυάδι. Adde Alexand. in topica p. 193, 15: (Ἀκολουθεῖ) . . . τῇ μὲν ἀνδρείᾳ τὸ αἱρετόν, τῇ δὲ δειλίᾳ τὸ φευκτόν. ἐναντία γὰρ ὄντα τὸ αἱρετόν τε καὶ φευκτὸν ἀκολουθεῖ ἐκείνοις ἑκάτερον ἑκατέρῳ.

Hinc luculenter patet vocem ἑκάτερον ad „τοὺς αὐλούς“ et „τὰ ὄργανα (ἰατρικά)“ spectare.

Restat ut de verbis οὐδὲ ποιητικὸν τῆς τέχνης dicam; quae collatis Aspasii οὐχ ὡς μερῶν οὐδ' ὡς ἀναπληρωτικῶν αὐτῆς, ἀλλ' ὡς ὀργάνων possis ita supplere, ut legatur οὐδὲ ⟨ὡς ἀναπληρωτικόν, ὡς δὲ⟩ ποιητικὸν τῆς τέχνης. Sed

praestat, ni fallor, cum florilegio rescribere ὡς δὲ ποιητικὸν τῆς τέχνης.

36) p. 130, 9 sqq.

Τὸ μὲν γὰρ μέρος ἐπινοεῖσθαι κατὰ τὸ συμπληρωτικὸν εἶναι τοῦ ὅλου, τὰ δ' ὧν οὐκ ἄνευ κατὰ τὸ ποιητικόν, τῷ φέρειν καὶ συνεργεῖν εἰς τὸ τέλος.

Pro vocabulo φέρειν Usenerus coniecit συμφέρειν, non recte. Cf. Aspas. in eth. Nic. p. 33, 23 sqq. ed. acad.: „Καὶ γὰρ πρὸς τἀγαθόν, λέγω δὴ τὴν εὐδαιμονίαν, τἆλλα ἀναφέρεται ἀγαθά. τὰ γὰρ εἰς αὐτὴν φέροντα ἀγαθὰ λέγονται κτλ.

37) p. 130, 21 sqq. vide p. 47 sq.

38) p. 131, 22 sqq.

Τὸ γὰρ μειράκιον ἀτελὲς καὶ ὁ τούτου βίος, δι' ὃ οὐκ ἂν γίγνεσθαι περὶ τοῦτ' εὐδαιμονίαν, οὐδ' ὅλως ἐν ἀτελεῖ χρόνῳ, ἀλλ' ἐν τῷ τελείῳ.

Scripserim ἀλλ ἐν [τῷ] τελείῳ coll. quae antea leguntur „ἐν ἀτελεῖ χρόνῳ" et Magn. Moral. p. 1185[a], 4 „οὐδ' ἐν χρόνῳ γε ἀτελεῖ, ἀλλ' ἐν τελείῳ".

39) p. 133, 11 sqq.

Περὶ δὲ τοὺς κοιμωμένους οὐκ εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν ἢ οὐκ ἐντελεχείᾳ γε. Τὴν γὰρ ἐνέργειαν τῆς ψυχῆς περὶ τὴν ἐγρήγορσιν εἶναι, ταύτῃ δὲ προστίθεσθαι τὸ „κατὰ φύσιν" διὰ τὸ μὴ πᾶσαν τὴν ἐγρήγορσιν τῶν σπουδαίων τελείας εἶναι χρῆσιν ἀρετῆς, ἀλλὰ τὴν κατὰ φύσιν.

Sententia haec est: beatitudo animi est actio; in somno autem cum nulla conspiciatur actio, dormientes virtutis participes non sunt; sunt autem exsomnes, nec vero omnes, sed ii tantum, qui secundum naturam agunt, h. s. οἱ σπουδαῖοι.

Perperam igitur dicuntur verba διὰ τὸ μὴ πᾶσαν τὴν ἐγρήγορσιν τῶν σπουδαίων τελείας εἶναι χρῆσιν ἀρετῆς, ἀλλὰ τὴν κατὰ φύσιν. Boni enim hominis (τοῦ σπουδαίου) actio, quae non sit secundum naturam, cogitari non potest. Cf. v. 16 sq. ταύτην δ' εἶναι τὴν τοῦ μὴ μαινομένου μηδ' ἐξε-

στηκότος [= τ. κ. φύσιν]. Itaque verba τῶν σπουδαίων delenda esse videntur.

40) p. 135, 1 vide p. 55[1].
41) p. 135, 17 vide p. 54.
42) p. 135, 19 sqq.

Πλοῦτον δὲ καὶ ἀρχὰς καὶ δυνάμεις οὐ παντὶ ὁπωσοῦν ἀγαθά, καθ' ὅσον ἀφώρισται τὸ εἶναι ἀγαθὰ τῇ τοῦ ἀγαθοῦ ἀνδρὸς χρήσει. Φαίνεσθαι δὲ ταῦτα καὶ ζητεῖν καὶ χρωμένους ὠφελεῖν.

Agitur de opinato, quod fertur, bono (φαινόμενον ἀγαθόν), et sententiam paene restituit Meinekeus scribendo φαίνεσθαι δὲ ταῦτα καὶ ζητητέα εἶναι, ipsa verba vix recuperavit. Sed omnino alterum est attendendum illud καὶ ... καί non bene legi et sententiam desiderari, qua, ad quosnam homines opinatum illud bonum pertineat, significetur. Opponuntur enim inter se boni homines, quibus sunt bono istae res, et mali, quibus videntur utiles esse. Oratio igitur hiulca est et sic fere explenda: φαίνεσθαι δὲ ταῦτα καὶ ⟨τοῖς κακοῖς ἄξια τοῦ⟩ ζητεῖν καὶ χρωμένους ὠφελεῖν. [„Videntur autem haec etiam malis expetenda esse et utentibus prodesse."] His optime adiunguntur proxima: οἷς δὲ τὸν ἀγαθὸν εὖ χρῆσθαι, τούτοις τὸν κακὸν κακῶς ... ἅμα δὲ κακῶς χρώμενον βλάπτεσθαι sqq.

43) p. 136, 17 vide p. 55[2].
44) p. 136, 18 sq.

Τὰ δὲ ἐξ ἐπιμελείας περιγίνεσθαι, ὡς τάς τε προπαιδεύσεις καὶ διαίτας ἐλευθερίους.

Spengelii παραγίνεσθαι miror, quod Wachsmuthius recepit. Recte enim dici ἐξ ἐπιμελείας περιγίνεσθαι docemur hisce locis: Stob. ecl. II p. 62, 17 „ἄλλας δὲ (ἀρετὰς) ἐπιγίνεσθαι ταύταις, οὐκ ἔτι τέχνας οὔσας, ἀλλὰ δυνάμεις τινάς, ἐκ τῆς ἀσκήσεως περιγιγνομένας ...". Arist. ethic. Nic. II 1 p. 1103ᵃ, 17 „ἡ δὲ ἠθικὴ ἐξ ἔθους περιγίγνεται". Alexand. in topica p. 145, 25 „καὶ εὑρόντες, ὅτι αἱ τοῦ παθητικοῦ μορίου τῆς ψυχῆς οὐ τοιαῦται (οὐ γὰρ ἐκ διδασκαλίας περιγίνονται, ἀλλὰ δι' ἐθῶν ...).

45) p. 138, 15.

Ταῦτ' ἄρα αὔξειν καὶ φθείρειν τὴν ἀρετήν . . .

ταῦτ' tenuit Wachsmuthius; sed rectius legitur, quod Rassovius et Meurerus invenerunt ταὔτ'. Cf. ethic. Nic. II 2 p. 1104[a], 27 sq. ἀλλ' οὐ μόνον αἱ γεννήσεις καὶ αὐξήσεις καὶ αἱ φθοραὶ ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν γίνονται. Magn. Mor. I 5 1185[b], 30 ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἄρα αὔξεται καὶ φθείρεται ἡ ἀνδρία.

46) p. 140, 10.

Αὕτη ⟨ἡ⟩ μεσότης πρὸς ἡμᾶς ⟨ἀρίστη⟩.

Sic locus legitur in Wachsmuthii editione. Sed scribendum est αὕτη ⟨ἡ⟩ μεσότης ⟨ἡ⟩ πρὸς ἡμᾶς ⟨ἀρίστη⟩. Cf. p. 139, 19 sqq. Ἐπεὶ οὖν ἡ ἀρετὴ τῶν πρακτῶν, πᾶσαν δὲ πρᾶξιν ἐν συνεχείᾳ θεωρεῖσθαι συμβέβηκε, παντὸς δὲ σύνεχοῦς ὥσπερ ἐν τοῖς μεγέθεσιν εἶναί τινα ὑπερβολὴν καὶ ἔλλειψιν καὶ μεσότητα καὶ ταῦτα ἢ πρὸς ἄλληλα ὑπάρχειν ἢ πρὸς ἡμᾶς, ἐν πᾶσι δὴ τὸ μέσον τὸ πρὸς ἡμᾶς βέλτιστον. Item p. 140, 7: τὸ οὖν πρὸς ἡμᾶς μέσον ἄριστον.

47) p. 142, 6 sqq. vide p. 96[1].

48) p. 142, 15 sqq.

Τῶν δὲ παθῶν καὶ ὁρμῶν τὰ μὲν εἶναι ἀστεῖα, τὰ δὲ φαῦλα, τὰ δὲ μέσα. Ἀστεῖα μὲν φιλίαν, χάριν, νέμεσιν, αἰδῶ, θάρσος, ἔλεον· φαῦλα δὲ φθόνον, ἐπιχαιρεκακίαν, ὕβριν· μέσα δὲ λύπην, φόβον, ὀργήν, ἡδονήν, ἐπιθυμίαν. Τούτων δὲ τὰ μὲν αἱρετέον καθάπαξ, τὰ δὲ ὁριστέον.

Si codicum fidei nos mancipamus, verba τὰ μὲν αἱρετέον καθάπαξ necesse est referantur ad eas animi affectiones, quae in prioribus ἀστεῖα πάθη nuncupantur, verbis autem τὰ δὲ ὁριστέον comprehenduntur, ni fallor, reliqua duo genera mediarum ac pravarum. Sed manifestum est hoc interesse inter affectus medios et malos, ut hi quidem plane evellendi sint atque extirpandi, illi vero circumscribendi et ad sanam rationem reducendi. Itaque scribendum est Τούτων δὲ τὰ μὲν αἱρετέον, ⟨τὰ δὲ φευκτέον⟩ καθάπαξ, τά δὲ ὁριστέον. Haec coniectura munitur Albinianis,

de quibus disserui p. 98 sq. Sunt autem haec p. 186, 12 sqq.: Τῶν δὲ παθῶν τὰ μέν ἐστιν ἄγρια, τὰ δ' ἥμερα· καὶ ἥμερα μέν, ὅσα κατὰ φύσιν ὑπάρχει τῷ ἀνθρώπῳ ἀναγκαῖά τε καὶ οἰκεῖα. οὕτω δ' ἔχει, ἕως ἂν σύμμετρα ὑπάρχῃ. προσελθούσης δὲ αὐτοῖς ἀμετρίας, ἡμαρτημένα ὑπάρξει. τοιαῦτά ἐστιν ἡδονή, λύπη, θυμός, ἔλεος, αἰσχύνη ... ἄλλα δ' ἄγριά ἐστιν πάθη, ἅπερ παρὰ φύσιν ἐστίν, ἐκ διαστροφῆς συστάντα καὶ ἐθῶν μοχθηρῶν· ταῦτα δὲ ὑπάρχει γέλως καὶ ἐπιχαιρεκακία καὶ μισανθρωπία, ἃ καὶ ἐπιτεινόμενα καὶ ἀνιέμενα καὶ ὁπωσποτοῦν ἔχοντα διαμαρτημένα ὄντα τυγχάνει, μετριότητα μὴ δεχόμενα. Similiter Aspasius in ethic. Nic. p. 51, 4 sqq. Ἆρ' οὖν πάθη μέν ἐστιν οὐκ ἐπιδεχόμενα τὸ εὖ, ὁμοίως δὲ καὶ πράξεις, πάθη δὲ ἕτερα οὔκ ἐστιν οὐδὲ πράξεις καὶ τὸ φαῦλον ὅλως οὐκ ἐπιδεχόμενα; Ultimo loco ipsum cito Aristotelem: Ethic. Nic. II 6 p. 1107ᵃ, 22 sqq. Ὥσπερ δὲ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας οὔκ ἐστιν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις διὰ τὸ τὸ μέσον εἶναί πως ἄκρον, οὕτως οὐδὲ ἐκείνων μεσότης, οὐδὲ ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις (sc. ἐπιχαιρεκακίας, ἀναισχυντίας, φθόνου sqq. p. 1107ᵃ, 10 sqq.).

49) p. 143, 24 sqq.

Βίον δ' αἱρήσεσθαι τὸν σπουδαῖον τὸν μετ' ἀρετῆς, εἴτ' ἐφ' ἡγεμονίας ποτὲ γένοιτο, τῶν καιρῶν αὐτὸν προαγαγόντων, εἴτ' ἐπὶ βασιλεῖ δέοι συμβιοῦν καὶ νομοθετεῖν ἢ ἄλλως πολιτεύεσθαι.

Verba ἐπὶ βασιλεῖ manifesto corrupta; nempe dativus βασιλεῖ a verbo συμβιοῦν pendet. Cf. Spengel. doct. nunt. Monacens. p. 261: „es könnte jedoch ἐπὶ aus εἴτ' entstanden scheinen, da bei Diog. V, 31, wo dieselben Lehren gegeben sind, γαμήσειν γὲ μὴν καὶ βασιλεῖ συμβιῶναι ... steht, und mehr mit den Königen, und ihrem Umgange, als unter ihnen oder in einem monarchischen Staate zu leben bezeichnet werden soll". Delevit igitur vir doctus vocem ἐπί et εἴτε scribendum esse coniecit. Usenerus vero commendavit scripturam εἴτε τινὶ βασιλεῖ. Sed facilius, ni fallor, locus sic corrigitur: εἴτε πῃ βασιλεῖ δέοι συμβιοῦν,

nisi cum Dielesio εἴτε ἐπὶ ⟨βασιλείας⟩ βασιλεῖ δέοι συμβιοῦν scribere mavis.

50) p. 144, 5 sqq. vide p. 63 sqq.

51) p. 145, 11 sqq.

Τεθεωρημένων δὲ τούτων καὶ ταῦτα διαλάβωμεν· εἶναι μὲν γὰρ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν κοινῶς ἕξιν προαιρετικὴν τῶν μέσων ἡδονῶν τε καὶ λυπῶν, στοχαστικὴν τοῦ καλοῦ ᾗ καλόν, τὴν δὲ κακίαν ὑπεναντίαν ταύτῃ· κοινὴν δὲ δοξαστικῆς καὶ ἠθικῆς ἕξιν θεωρητικὴν καὶ προαιρετικὴν καὶ πρακτικὴν τῶν ἐν ταῖς πράξεσι καλῶν· τὴν δὲ κοινὴν καὶ (ἐκ P) τοῦ ἐπιστημονικοῦ κοινὴν ἀκρότητα λογικῆς κατασκευῆς εἶναι θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν.

Primum quidem scribendum esse videtur v. 12. ἕξιν προαιρετικὴν τῶν μέσων ⟨πρὸς ἡμᾶς⟩ ἡδονῶν τε καὶ λυπῶν. Verba ⟨πρὸς ἡμᾶς⟩ desidari docemur hisce locis: Stob. ecl. II p. 139, 19 Ἐπεὶ οὖν ἡ ἀρετὴ τῶν πρακτῶν, πᾶσαν δὲ πρᾶξιν ἐν συνεχείᾳ θεωρεῖσθαι συμβέβηκε, παντὸς δὲ συνεχοῦς ὥσπερ ἐν τοῖς μεγέθεσιν εἶναί τινα ὑπερβολὴν καὶ ἔλλειψιν καὶ μεσότητα καὶ ταῦτα ἢ πρὸς ἄλληλα ὑπάρχειν ἢ πρὸς ἡμᾶς, ἐν πᾶσι δὴ τὸ μέσον τὸ πρὸς ἡμᾶς βέλτιστον, τοῦτο γάρ ἐστιν ὡς ἡ ἐπιστήμη κελεύει καὶ ὁ λόγος. Aspas. in eth. Nic. p. 56, 18: ὅτι δὲ τὸ μέσον λαβεῖν δύσκολον, παρέθετο παράδειγμα οὐ τῶν πρὸς ἡμᾶς τι μέσων, ἀλλὰ τῶν κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα. Stob. ecl. II p. 140, 12 Διὸ ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς sqq. Ethic. Eudem. p. 1227[b], 8 virtus moralis definitur ἕξις προαιρετικὴ μεσότητος τῆς πρὸς ἡμᾶς ἐν ἡδέσιν καὶ λυπηροῖς.

Proxima tam misere sunt corrupta, ut de iis restituendis desperaverit Spengelius, quamvis acutus talium emendator (doct. nunt. Mon. XXX. p. 261). Usenero tamen ac Wachsmuthio contigit, ut nonnulla certe ad sanam rationem reducerent. Sed ad horum tentamina examinanda priusquam aggredior, opus est quam brevissime de animi divisione Aristotelica disserere. Aristoteles enim et qui eum sunt secuti, duo dignoscebant virtutum genera, διανοητικῶν et ἠθικῶν [ethic. Nic. 1103[a], 4 sqq.]; quorum ad alterum (διαν.) pertinere σοφίαν et φρόνησιν,

ad alterum morales virtutes. Atque ethicam virtutem, quae ad τὸ ἠθικὸν pertineret [eth. Nic. p. 1144^b, 15], ἕξιν esse προαιρετικήν [eth. Nic. 1139^a, 22 sq.; Magn. Mor. 1197^a, 11 sqq.]; sed ad τὸ λογιστικὸν [ethic. Nic. 1139^a, 6 sq.] sive δοξαστικὸν [eth. Nic. 1140^b, 26 sqq.] sive βουλευτικὸν [M. Mor. 1196^a, 15 sq.] spectare φρόνησιν, quae esset ἕξις πρακτική [eth. Nic. 1140^b, 20 sqq.; Stob. ecl. II p. 145, 20]; et ad τὸ ἐπιστημονικὸν [ethic. Nic. 1139^a, 12] σοφίαν, quae esset ἐπιστήμη et ἕξις θεωρητική.

Hinc luculenter apparet verbis (vv. 17 sqq.) ἀκρότητα λογικῆς κατασκευῆς εἶναι θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν comprehendi virtutes dianoëticas ita, ut Useneri διανοητικήν (pro inepto κοινήν) laudandum sit. Et alterum vidit Wachsmuthius post vocem ἐπιστημονικοῦ vocabulum excidisse, quo verbum πρακτικήν referretur. Proposuit ille ⟨καὶ τοῦ βουλευτικοῦ⟩; sed praestat fortasse ⟨καὶ τοῦ δοξαστικοῦ⟩ propter illud quod v. 15. praecedit δοξαστικῆς. Sed etiam, quae vv. 15 sq. leguntur, sunt corrupta. Neque enim, cum vocabulum δοξαστικῆς ad φρόνησιν spectet, vox θεωρητικήν habet, quo pertineat. Possis igitur conicere κοινὴν δὲ διανοητικῆς καὶ ἠθικῆς (sc. αρετῆς); sed vereor, ne verba interciderint talia, qualia ⟨ἐπιστημονικῆς καί⟩.

Totum igitur locum sic fere refinxerim: Κοινὴν δὲ ⟨ἐπιστημονικῆς καὶ⟩ δοξαστικῆς καὶ ἠθικῆς ἕξιν θεωρητικὴν καὶ προαιρετικὴν καὶ πρακτικὴν τῶν ἐν ταῖς πράξεσι καλῶν[1]. τὴν δὲ διανοητικὴν καὶ τοῦ ἐπιστημονικοῦ ⟨καὶ τοῦ δοξαστικοῦ⟩ κοινὴν ἀκρότητα λογικῆς κατασκευῆς εἶναι θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν.

52) p. 147, 22 sqq. vide p. 58[1].

---

53) Albin. p. 152 (cap. 2) sqq.

Τίμιος μὲν δὴ ὁ θεωρητικός βίος, ἑπόμενος δὲ καὶ ἀναγκαῖος ὁ πρακτικός.

---

1) Melior est hic ordo: θεωρητικὴν καὶ πρακτικὴν καὶ προαιρετικήν. Sed verba transponere dubito.

Inde, quod voci ἑπομένως opponi solet vocabulum προηγουμένως (p. 154, 13 sq. κριτικὸν προηγουμένως μὲν τῶν ἀληθῶν, ἑπομένως δὲ καὶ τῶν ψευδῶν), verbum προηγουμένως scribentis neglegentia omissum esse suspicari licet. Quae coniectura alterius membri formatione (ἑπόμενος καὶ ἀναγκαῖος) stabilitur. Cf. etiam infra p. 153, 7: ὅθεν καὶ προηγούμενον καὶ τίμιον ἂν εἴη τὸ τοιοῦτο sqq. Scripserim igitur: τίμιος μὲν δὴ ⟨καὶ προηγούμενος⟩ ὁ θεωρητικὸς βίος, ἑπόμενος δὲ καὶ ἀναγκαῖος ὁ πρακτικός.

54) p. 153 cap. 2. extr.

Πρέπει δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων τῷ φιλοσόφῳ μηδαμῶς τῆς θεωρίας ἀπολείπεσθαι, ἀλλ' ἀεὶ ταύτην τρέφειν καὶ αὔξειν, ὡς ἑπόμενον δὲ καὶ ἐπὶ τὸν πρακτικὸν χωρεῖν βίον.

Negotium (πρακτικός βίος) cum ipsum sit ἑπόμενον, corrigendum est ὡς ⟨ἐφ'⟩ ἑπόμενον δὲ καὶ ἐπὶ τὸν πρακτικὸν χωρεῖν βίον.

55) p. 162, 29 sqq. cap. 8:

Ἰδιότητα δὲ ἔχειν τοιαύτην (τὴν ὕλην), ὥστε πᾶσαν γένεσιν ὑποδέχεσθαι τιθήνης λόγον ἐπέχουσαν τῷ φέρειν αὐτὰς καὶ ἀναδέχεσθαι μὲν αὐτὴν πάντα τὰ εἴδη, αὐτὴν δὲ καθ' αὑτὴν ἄμορφόν τε ὑπάρχειν sqq.

Vox αὐτάς, quae non habet, quo referatur, in αὐτήν mutanda est (sc. γένεσιν).

Materia etiam a Platone γενέσεως nutrix dicitur: Timaeus p. 53 B τὴν δὲ δὴ γενέσεως τιθήνην καὶ ὑγραινομένην καὶ πορευομένην καὶ τὰς γῆς τε καὶ ἀέρος μορφὰς δεχομένην.

Etiam vox φέρειν, cum non bene quadret ad τιθήνην, corrupta esse videtur. Scribendum esse conicio τρέφειν. Cf. Alex. in topica p. 425, 21: ὡσαύτως καὶ ὁ τιθήνην τὴν γῆν ὁρισάμενος· ἡ γὰρ τιθήνη κυρίως ἐπὶ τῆς γυναικὸς τῆς τιθηνούσης καὶ ἀνατρεφούσης λέγεται. Simplic. in phys. p. 249, 1: διὸ καὶ ὁ Πλάτων ποτὲ μὲν μητέρα, ποτὲ δὲ χώραν αὐτὴν (materiam) καλεῖ· ἀναλογεῖν δὲ ἂν μητρὶ λέγοις καὶ καθόσον διαστατικὴ καὶ διαιρετικὴ τῶν εἰδῶν ἐστιν ἡ ὕλη, ὥσπερ τῶν πατρικῶν σπερμάτων αἱ μητέρες καὶ τῶν βρεφῶν

τρέφουσαι καὶ αὔξουσαι αὐτὰ εἰς μείζονα ὄγκον. διὸ καὶ τιθήνην αὐτὴν ὁ Πλάτων καλεῖ.

Totum igitur locum sic refingo: Ἰδιότητα δὲ ἔχειν τοιαύτην, ὥστε πᾶσαν γένεσιν ὑποδέχεσθαι τιθήνης λόγον ἐπέχουσαν τῷ τρέφειν αὐτήν καὶ ἀναδέχεσθαι μὲν αὐτὴν πάντα τὰ εἴδη, αὐτὴν δὲ καθ᾽ αὑτὴν ἄμορφόν τε ὑπάρχειν sqq.

56) p. 182, 16 sqq. cap. 29. vide p. 93 sq.

57) p. 182, 35 sq. vide p. 95[2].

58) p. 184, 1 sqq.

Καὶ ἐπεὶ οὔτε ἐπιστήμη οὔτε τέχνη ἐν ἄλλῳ μέρει τῆς ψυχῆς συνίσταται ἢ ἐν μόνῳ τῷ λογιστικῷ, αἱ μὲν περὶ τὸ παθητικὸν ἀρεταὶ οὐχ ὑπάρχουσι διδακταί, ὅτι μήτε τέχναι μήτε ἐπιστῆμαί εἰσιν· οὐδὲ γὰρ ἴδιον θεώρημα ἔχουσιν.

Verba ὅτι μήτε τέχναι μήτε ἐπιστῆμαί εἰσιν, ut quis eadem sententia exprimatur atque iis quae antecedunt ἐπεὶ οὔτε ἐπιστήμη — λογιστικῷ, delenda videntur esse.

59) p. 185, 1 sqq.

Εἴ δέ τις ἐπὶ κακίαν ὁρμᾷ, πρῶτον μὲν οὐχ ὡς ἐπὶ κακίαν αὐτὴν ὁρμήσει, ἀλλ᾽ ὡς ἐπ᾽ ἀγαθόν· εἰ δὲ καὶ παραγίνεταί τις ἐπὶ κακίαν πάντως ὁ τοιοῦτος ἐξαπάτηται ὡς δι᾽ ἐλάττονός τινος κακοῦ ἀποικονομησόμενος μεῖζον ἀγαθόν, καὶ ταύτῃ ἀκουσίως ἐλεύσεται.

Verba πάντως ὁ τοιοῦτος ἐξαπάτηται secludenda esse censuit C. Fr. Hermannus, cum „veram apodosin in καὶ ταύτῃ ἀκουσίως ἐλεύσεται claudicare“ cogerent ac ne protasis quidem propiore definitione ὡς — μεῖζον ἀγαθόν carere posset. Tamen verba non recte ab eo esse deleta docuit Thaddaeus Sinko [Krak. Acad. vol. 41.] qui p. 158. haec dicit: „Etiam reliqua huc pertinentia cum Albino ei (Apuleio) communia sunt, cuius verba πάντως ὁ τοιοῦτος ἐξαπάτηται iniuste a C. Fr. Hermanno uncis quadratis inclusa esse docet Apuleius scribens „deceptus errore.“ Itaque orationem, quam claudicare Hermannus evicit, transponendis verbis sic restituo: εἰ δὲ καὶ παραγίνεταί τις ἐπὶ κακίαν ὡς δι᾽ ἐλάττονός τινος κακοῦ ἀποικονομησόμενος

μεῖζον ἀγαθόν, πάντως ὁ τοιοῦτος ἐξαπάτηται καὶ ταύτῃ ἀκουσίως ἐλεύσεται.

Sed rursus haereo; neque enim illud „tanquam minore malo gravius a se amoturus bonum (ὡς δι' ἐλάττονος — ἀγαθόν)" quid sibi velit, intellego. Vocis ἀποικονομεῖσθαι vis quin sit „a se amovere", dubitari nequit. Cf. Epictet. diss. IV 1, 44 „ἐπεὶ τίς οὐκ ἔχει κακοῦ πρόληψιν, ὅτι βλαβερόν ἐστι, ὅτι φευκτόν ἐστι, ὅτι παντὶ τρόπῳ ἀποικονομητόν ἐστι"; Stob. ecl. II p. 105, 18; Praechter „Hierocl. d. St." p. 37 sq.; terminus est Stoicus. Hermanni igitur lectio, cum sensum non efficiat, mittenda et recipienda Parisini nescio cuius libri, in quo, si editori fides [praef. p. XXV.], μεῖζον κακόν legitur. Orationis textu sic restituto ea, quae secuntur ἀδύνατον γὰρ ὁρμᾶν τινα ἐπὶ κακὰ βουλόμενον ἔχειν αὐτά, οὔτε ἐλπίδι ἀγαθοῦ οὔτε φόβῳ μείζονος κακοῦ, quemadmodum accipienda sint, planum fit. Horum verborum altera pars (οὔτε ἐλπίδι ἀγαθοῦ) spectat ad ista εἰ δέ τις ἐπὶ κακίαν ὁρμᾷ, πρῶτον μὲν οὐχ ὡς ἐπὶ κακίαν αὐτὴν ὁρμήσει, ἀλλ' ὡς ἐπ' ἀγαθόν, altera autem pars (οὔτε φόβῳ μείζονος κακοῦ) ad verba εἰ δὲ καὶ παραγίνεταί τις ἐπὶ κακίαν ὡς δι' ἐλάττονός τινος κακοῦ ἀποικονομησόμενος μεῖζον κακόν sqq.

---

60) Apuleius, de Plat. II 23 p. 126, 20 sqq. Thom. vide p. 92 cum adnot.

Vita auctoris.

Natus sum Hans Martin Strache a. d. IV. Kal. oct. a. MDCCCLXXXVI. Bernaviae, in oppidulo Marchico, patre Guilelmo, matre Frida e gente Schucht, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis domestica, tum publica institutione imbutus ludum privatum, qui in patria urbe tum florebat hodieque floret, per tres annos frequentavi; unde in gymnasium Fridericianum Berolinense deductus sum. Hic vere a. MCMV. maturitatis testimonium adeptus, ut studiis operam darem philologis, historicis, philosophis, Almae Matris Berolinensis civibus ascriptus sum; qua post bis sex menses relicta per unum semestre Marpurgi Chattorum scholas audivi. Tum Berolinum remigravi.

Docuerunt me viri illustrissimi H. Diels, Helm, O. Hirschfeld, Lasson, E. Meyer, P. M. Meyer, E. Norden, Paulsen †, Roloff, D. Schaefer, M. C. P. Schmidt, W. Schulze, Stumpf, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses; Cohen, Birt, Glagau, Kalbfleisch, Knopf, Maass Marpurgenses.

Proseminario philologo interfui Berolinensi per duo semestria, Marpurgensi per unum; dein per sex menses superioris proseminarii Berolinensis ordinis, qui tunc Wilamowitzio rectore florebat, scholis instructus tria per semestria seminarii regii exercitationibus sodalis interfui ordinarius. Seminari historici scholis ut interessem, benigne mihi permiserunt O. Hirschfeld et E. Meyer; ad

exercitationes me admiserunt papyrologicas P. M. Meyer, philologas Thomas. Quibus viris doctis omnibus gratias ago semperque habebo maximas, imprimis Hermanno Diels, qui hanc dissertationem componenti mihi neque consilio usquam neque opera defuit.